DE

PLATONIS SCHOLIORUM FONTIBUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

PRIMAE SECTIONI AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

TURICENSI

PROPOSUIT

AUCTOR

THOMAS METTAUER

ARGOVIENSIS.

(Probata est referentibus professoribus
Dr. Arnoldo Hugio et Dr. H. Bluemnero.)

TURICI

TYPIS ZVERCHERI ET FVRRERI

MDCCCLXXX.

DE PLATONIS SCHOLIORUM FONTIBUS.

Scholia Platonica, quae non admodum copiosa sunt, cum praeter glossas, quarum pretium aut nullum aut exiguum est, non paucas adnotationes contineant ad Platonis dialogos rectius intelligendos utilissimas, et cum multarum vocum, quibus philosophus usus est, interpretationes exhibeant eximia doctrina refertas neque usquam alibi traditas: plurimum nostra interesse debet scire, quibus e fontibus singulas glossas scholiastae hauserint. — Atque in illos quidem si inquirimus, permulta scholia auctoribus suis sine magno negotio et satis certo restitui possunt. De aliis autem quaestio impeditissima est, primum eo, quod scholia Platonis non, ut aliorum scriptorum, aut omnia, aut pleraque ad veterum interpretum commentarios referri possunt, sed sat magnam partem undique corrasa et conglutinata sunt, cum e commentariis, tum e diversis lexicis aliisque libris; deinde eo, quod quae scholia in singulis codicibus M. S. extent, quae desiderentur, plerumque nescimus, eis tantum exceptis, quae M. Schanzius e libris Veneto et Clarkiano publici iuris fecit.

Scholiorum editiones sunt haece.

1. Siebenkeesius (Anecd. Gr. Norimb. 1798; vol. II; vide praefat. p. VII.) descripsit Platonis scholia e codicibus M. S. Venetis, in catalogo quem Zanettius edidit Nr. 186 et 189 notatis, et e codice M. S. bibl. Angel. (cfr. praefat. p. VI.)

2. Omnia fere, quae ibi leguntur, Ruhnkenii scholiorum collectio continet, multo plenior, quam Siebenkeesiana,

qua non nisi ad Phaedrum paullo plura traduntur[1]; insunt scholia e codicibus M. S. bibliothecarum Vindob., Paris., Florent., al. congesta et anno 1800 edita.

3. Eadem fere Bekkerus e marginibus codicum Paris. *A* et *B* et *F* et *Ξ* sublegit et in secundo volumine commentariorum foras dedit. Lectionis quidem discrepantiae quaedam, a Ruhnkenio receptae, ibi omittuntur; in ceteris vero scholiis hae duae editiones adeo congruunt, ut (simul cum Siebenkeesiana) pro una eademque haberi possint. Neque quicquam novi affertur in Platonis editionibus Turicensi, Parisina, Hermanniana.

4. Cum Ruhnkenii et Bekkeri scholiis arctissime cohaerent ea, quae nuper M. Schanzius in libro: «Ueber den Platocodex der Marcus-Bibliothek in Venedig Appd. class. 4 N. 1 Leipz. 1877.» inscripto, publici iuris fecit; in eandem nempe familiam huius libri M. S. (t apud Bekk.) scholia referenda sunt; magno opere vero illius V. D. diligentia nos adiuvat, quoniam nunc unius saltem codicis M. S. huius familiae scholia accurate cognoscere licet.

5. Quorum a librorum M. S. scholiis valde discrepant Clarkiani (vel Bodl.) glossae, quas Thomas Gaisfordius in «Catalogo sive Notitia Manuscriptorum Clarkii» anno huius saeculi 12. Oxonii et in libro: «Lectiones Platonicae e membran. Bodl. Oxonii 1820», multo autem accuratius diligentiusque idem M. Schanzius in «Nov. commentat. Platonic. Wirceburgi 1871, § 27» nobiscum communicaverunt; eas etiam alii editores, Bekkerus, Turicenses, Hermannus, Parisini ceteris scholiis adiunxerunt.

6. Pauca quaedam scholia, quibus descriptis e codicibus Paris. Stallbaumius editionem suam locupletavit (Edit. stereot. 1850) inspicere nequivi (cfr. Herm. schol. Plat. edit. 1853 praefat. p. XXXII).

---

[1]) C. F. Hermannus utramque sic repetivit, ut signis R. et S. scholia Ruhnkenii et Siebenkeesii distingueret (Plat. dialogi, vol. VI).

7. Commemoranda sunt etiam libri M. S. Darmstadini scholia, a Creuzero (Plotin. de pulchritud. add. p. 530. seq. 1811) edita, quae eiusdem quidem originis atque Ruhnkeniana et Bekkeriana, sed paullo aliter disposita sunt.

8. C. E. Chr. Schneiderus scholia ad Plat. Rem publ. auxit e codicibus M. S. Lobcoviensibus (Vratislaviae 1841), sed etiam, quae ibi exhibentur, pleraque iam aliunde cognovimus; quae vero nova occurrunt, exilia sunt; attamen haec editio ob id utilissima est, quod scholiis multi scriptorum loci adduntur, qui instar scholiorum sunt. — Quo libro fultus anno 1845 Schückius in fontes scholiorum ad Civitatem inquisivit. Hanc autem dissertationem inspicere mihi quamvis omni opera eniso non contigit; paullulum tamen cognoscere potui e recensionibus annalibus philol. insertis (Zeitschr. f. Alterthw. 1845. Nr. 107; p. 856; Jahn's Jahrbüch. 1847. vol. 50 p. 110); plura vero mecum communicavit Biedermanni, academiae Gryphiswld. civis, erga me amicitia et liberalitas.

Disputationem nostram sic instituemus, ut primis capitibus ea scholia tractemus, quae unde sumpta sint, facillime perspicias; deinde in fontes glossarum, quae restant, inquiramus. Agemus igitur:

A. cap. I. de commentariis a scholiasta ad quosdam dialogos adhibitis.

B. de auctoribus, quibus debeantur:
cap. II. glossae geographicae,
» III. fabulae Graecae,
» IV. vitae philosophorum, poetarum etc.

Quas glossas postquam secluserimus, recensebimus:

C. lexicographos, (quorum e lexicis Platonicis et rhetoricis explicationes grammaticas in scholia fluxisse scimus):

cap. V. Timaeum;

» VI. et VII. Diogenianum, Boethum, Dionysium, Pausaniam. — Denique in duobus singulis

cap. VIII. et IX. de glossis, quae ad iudicia et instituta publica spectant, deque proverbiorum fontibus nonnulla proferemus; quibus extremum

cap. X. adiungetur de scholiorum compositione et conglutinationis tempore.

A.

Caput I. DE COMMENTARIIS QUIBUS SCHOLIASTAE USI SUNT.

Cum Platonis philosophia multa per saecula ante et post Chr. natum hominum animos aleret et valde oblectaret, nunquam fere defuerunt, qui eius auctoritatem secuti non solum ipsi summam philosophi sapientiam intellegere et percipere studerent, sed etiam ad alios propagare cuperent eandem, quam diligebant, doctrinam. Qua re in scholis Platonis dialogos interpretati sunt, necnon libris eos explanaverunt, id quod iam paullo post mortem philosophi usu venit. Tertio autem nostrae aerae saeculo Graecorum philosophia fidei Christianae coepit cedere; quo plures vero homines ad novam religionem inclinabant, eo magis etiam illius asseclae et cultores studio omni ac toto animo Platonis philosophiae se tradebant eamque acriter defendebant; unde nata est schola quae dicitur Neoplatonica auctoribus (Ammonio Sacca et) Plotino et Porphyrio, cuius discipulus Jamblichus, homo studio mystico deditus (ὁ θεῖος), theurgiam et fidem miraculis habitam doctrinae Platonicae admiscuit; tertio autem loco nominandi sunt Plutarchus, Syrianus, Proclus, Hierocles, Hermias, Olympiodorus, Damascius, alii, Atheniensis plerique scholae rectores; et hi omnes fere Neoplatonici multo magis, quam qui antea Platonis studiosi fuerant, in philosophia interpretanda et singulis commentariis illustranda totum animum atque diligentiam ponebant; itaque evenit, ut horum scripta perirent, illorum nonnulla usque ad nostram memoriam perdurarent. Praeter commentarios vero de universa quoque Platonis philosophia et de singulis eius partibus

ab illis libri confecti sunt atque genus dicendi Platonicum lexicis explanatum est. Quibus copiis undique congestis scholiastae scholiorum permagnam partem debent.

Namque non omnium dialogorum scholia aeque copiosa sunt, velut Gorgiae, Theaeteti, Timaei, Alcibiadis prioris, Phaedri, quae pleraque e scriptis Neoplatonicorum fluxerunt. Uberrimi autem fontes Procli, Hermiae, Olympiodori commentarii erant, quibus quae debeantur, perlustremus.

1. DE SCHOLIIS AD TIMAEUM.

Plures commentarii quam ad ullum alium dialogum ad Timaeum compositi sunt (Fabric. Bibl. Gr. vol. III. pag. 95. Edit. quart.; et vol. IX. p. 418; Nicolai Gr. Lit.-Gesch. I. p. 505. Edit. alt.). — Scholiasta autem Proclum secutus est, cuius libris quamvis locupletissimis vix tertia pars dialogi explicatur. Diodochi nomen quatuor locis ascripsit: schol. 17 A (p. 363 Edit. Herm. = 423 Bekk.); 24 A (p. 367 H = 426 B); 25 C (p. 368 H. = 427 B); 24 E (ibid.); et si quando aliorum virorum opiniones affert aut refutat, has ex Proclo cognovit, neque ex eis ipsis recepit (cfr. Schol. 24 E p. 368 H = 427 B *ὅτι μὲν ἐγένετο*); velut in scholio 22 E *κατὰ τὴν ἄνω* (p. 366 H = 425 B), ubi Aristoteles et Theophrastus citantur, diadochum excerpsit (vide pag. 37 A seq. Edit. Schneid. Vratisl. 1847). Si vero hunc consulere non potuit, confugit etiam ad alios, velut in gl. 21 E *ἐκ τῶν Μαν.* (p. 365 H = 424 B) ad Manethonem. Ex Proclo et aliis fontibus consarcinavit gl. 21 B *Ἀπατούρια* (p. 364 H = 424 B; confer Procli comm. p. 27 E) [1]; deinde

---

[1]) Ibi *τῆς ἀπάτης* descriptio, quanquam non deest, brevior tamen quam in scholio extat.

Similia videsis apud Joa. Antioch. (Müller fragm. hist. Gr. vol. IV. p. 539. frgm. 19; ap. Hellanicum in schol. ad. Symp. 208 D *Κόδρος* (p. 259 H = 376 B); Syncell. 178 B; Conon Phot. Bibl. cod. *ρπς* narrat. 39 (= p. 230 Ed. Hoesch [1601] = p. 138ᵃ 40 sq. Edit. Bekk.); Polyaen. I. 19; alios.

cum priore parte glossae 25 D *τοῦτο καί* (p. 369 H = 428 B init.) componenda sunt verba Procli p. 58 B: *καὶ τὸ πηλὸν εἶναι ἐν τῇ ἔξω θαλάσσῃ μετὰ τὸ στόμιον ὁ αὐτὸς ἱστόρησε, καὶ τὸ τεναγώδη τὸν τόπον ἐκεῖνον ὑπάρχειν.* sub v. *ὁ αὐτός* Aristoteles (conf. tamen nos infra p. 35 not. 1) intelligendus est. Hic et *ἡ ἱστορία* ante commemorantur, quorum loco *τοὺς ἱστοροῦντας* scholiasta auctores suos appellat. At cur vocabula *τέναγος* et *τεναγώδης*, quae apud Platonem nusquam leguntur, explicat? Proclus nempe ea adhibuit; ibi ergo scholion extat ad scholion, quorum alterum Diogeniano (aut Hesychio, quem vide s. v. *τέναγος*, item Phot. [et Suid.] s. ead. v.) debetur. (cfr. infra cap. VI. extrem. de voce *φασκώλ.*).

Haec est ultima glossa (ad Tim. Plat. p. 25 D) e Proclo recepta; cuius commentarius, quamvis ad pag. 44 D usque dialogum explanet, tamen non amplius adhibitus est. Nam glossae, quae sequitur, auctor laudatur Simplicius, Aristotelis interpres, in cuius commentariis a se compositis ille de voce *ἰλλομένην* vel *εἰλομένην* disseruisse videtur. Cum autem locis compluribus ab Olympiodoro aliisque allatis (vide Fabric. Bibl. Gr. vol. 9. p. 418. Edit. quart. = libr. V. cap. 21, Nr. 14) probabile fiat, ad universum dialogum a Proclo commentarium confectum fuisse, hoc non integro scholiastam usum esse suspicor. Glossae vero Diadocho prorsus abiudicandae sunt haece: 25 D *κάρτα*, 52 E *πλοκάνων*, 84 B *σφακελισμός*, 76 A *λέμμα*, quae quoniam cum Hesychio, Photio (Suida, lexico Bachmanni = Anecdot. Bachm. vol. I.) satis congruunt, omnes fortasse Diogenianeae sunt; 81 B *δρυόχων* et *εὐρῶτος* sunt Timaei Sophistae; praeterea nonnullae Apollodoro debentur; quae restant, eas scholiasta a Proclo mutuatus est.[1]).

---

[1]) Indicem locorum quibus Proclus eadem atque scholiasta tradit adiciam:

Hypothesis: vide Procl. comm. 3 D. E.
scholion 17 B sumptum ex 8 F.

2. DE SCHOLIIS AD PARMENIDEM.

Hunc quoque dialogum Proclus interpretatus est; cuius commentarius non integer extat (editus a Cousinio Paris. 1820—1827 in opp. Procli vol. 4., 5., 6.). Nam Platonis verba **οὐδ' ἄρα οὕτως** p. 141 B (Ed. Steph.), quanquam a Diadocho afferuntur, nunc interpretatione carent; exinde commentarius ex opere Damascii, qui ipse dialogum explicaverat, suppletus est. Multo vero verbosius quam hic ille more suo res exponit. Scholia autem satis exilia sunt et diversis e fontibus manaverunt; e Procli libris perpauca; sunt enim haec tantum: 131 B *ἡδέως* . .] *ἀντί* (p. 253 H = 329 B), apud Proclum vol. V. p. 103 Edit.

---

scholion	18 C	sumptum ex	15 E.
„	18 E	„ „	15 F; 16 C D.
„	19 C	„ „	19 E.
„	20 A	cfr. cum	1 A; 5 A; 3 B, 22 D; 22 E.
„	20 D	cfr. Procl.	25 C.
„	20 E	„ „	26 B extr.
„	„ „	„ „	25 F.
„	„ „	„ „	25 F.
„	21 A	„ „	27 A extr. et 27 D.
„	21 B (*φρατ.*)	„ „	27 F.
„	21 B (*Ἀπατ.*)	„ „	27 E.
„	21 D	„ „	29 D.
„	21 E (*νομός*)	„ „	30 C.
„	21 E (*σημείωσαι*)	„ „	30 B.
„	22 B (*Πατεν.*)	„ „	31 D.
„	22 D (*παράλλ.*)	„ „	35 E.
„	„ „ (*λυόμ.*)	„ „	37 B.
„	22 E (*κατά*)	„ „	37 A et 37 B; 37 C; 37 D.
„	23 A (*ἀντί*)	„ „	38 B.
„	„ „ (*ὅτι*)	„ „	38 F.
„	24 A (*παραδ.*)	„ „	46 C.
„	24 C (*γεωμ.*)	„ „	49 C.
„	24 E (*Ἀτλ.*)	„ „	56 A.
„	24 E (*ὅτι μέν*)	„ „	54 F sq.
„	25 A (*δέκα*)	„ „	56 C D.
„	25 C (*Πρόκλ.*)	„ „	58 A.

Cousin.; schol. 136 D τὸ δεινότερον, Procl. vol. V. p. 220; schol. 136. E τὸ τοῦ μελοποιοῦ, vol. V. p. 316; Damascio nullum scholion debetur.

3. DE SCHOLIIS AD THEAETETUM.

Copiosissima sunt scholia huius dialogi; nec dubium esse mihi videtur, quin eiusdem Procli commentarius, nunc quidem deperditus, eorum fons fuerit. Quod ut demonstrem, hisce argumentis utar.

Marinus, qui Procli vitam conscripsit, huius commentarii mentionem sic facit (cap. 38): ἀεὶ μέν, inquit, τῶν ἄλλων πάντων προετίθει τὰ εἰς Τίμαιον ὑπομνήματα, ἠρέσκετο δὲ πάνυ καὶ τοῖς εἰς Θεαίτητον. Deinde hoc ὑπόμνημα auctor ipse bis in illo (p. 78 med. et 248 post med. Edit. Basil. = 78 C et 248 D Edit. Schneid.) respicit: περὶ μὲν οὖν κριτηρίων ἀρκέσει καὶ ταῦτα[1]) πρὸς τὸ παρόν. εἴρηται γὰρ ἡμῖν ἐν τοῖς εἰς Θεαίτητον διὰ πλειόνων περὶ τούτων σαφέστερον · et altero loco: δέδεικται γοῦν ἐν Θεαιτήτῳ, ὅτι κατὰ πάντα κινεῖσθαί τι παντελῶς ἀδύνατον (cfr. Procl. etiam 232 E). Praeterea Diadochus semel citatur in scholio ad 155 B (p. 239 H = 359 B): ὁ Πρόκλος τὸ ἀλλά παρέλκειν λέγει. Denique glossa 195 B (p. 248 H = 366 B) ἀδολέσχης] ὁ δυσαπάλλακτος ἀφ' ἑκάστου λόγου satis convenit cum Procli ad Parmenidem explicatione (vol. V. p. 269. Edit. Cousin.): καὶ αὐτὸς μήν (scil. Σωκράτ.), inquit, ἑαυτὸν οὑτωσὶ καλεῖν ἀξιοῖ διὰ τὴν παντοίαν τῶν ζητουμένων, ἥν εἴωθε ποιεῖσθαι, βάσανον καὶ δυσαπαλλακτέαν τῶν λόγων πρὸ τῆς εὑρέσεως τἀληθοῦς ... δεινὸν γὰρ πρᾶγμά φησιν αὐτὸς ἐν

---

[1]) Proclus ibi loquitur περὶ αἰσθήσεως eiusque κριτηρίων et ad Theaetetum pluribus de his se disputavisse profitetur; unde fluxisse videntur scholia 156 D καὶ γάρ (p. 240 H = 360 B), 163 A πρόκειται (p. 241 H: om. B), 166 C ἐκ τῶν (p. 242 H = 361 B), 184 D et E οὐχ ὅτι et πάντα (p. 246/47 H = 365 B), 185 A et C τὴν διάνοιαν et τό (p. 247 H = 365 B), 191 B et B ἡ συμπλοκή et μὴ οὕτω (p. 248 H = 366 B).

Θεαιτήτῳ (p. 195 B) *ἀδολέσχης ἀνήρ*· magis autem ea quadrant, quae idem nos docet vol. IV. p. 51: allatis enim Socratis verbis *καὶ γὰρ ἀδολέσχας*[1]), inquit, *τούτους καθάπαξ εἰώθεσαν ἐπισκώπτοντες ὀνομάζειν τοὺς δυσαπαλλάκτως ἔχοντας τῶν αὐτῶν λόγων*. — Postremo glossa 191 A (p. 248 H = 366 B init.), qua *τὸ γελοῖον* explicatur, philosophum prodit: *γελοῖόν ἐστι τὸ αἰσχρὸν μετὰ ἀσθενείας*. Olympiodorus enim ad Phaedonem (pag. 32. Edit. Finkh. Heilbronn. 1847) *γελοῖον* dicit *αἰσχρὸν ἀσθενές, διὸ καὶ Θερσίτης γελοῖος ἦν*... Cum vero Olympiodorus sexcenties Procli sententias vel definitiones verbis aut eisdem aut paullulum mutatis receperit, etiam glossam supra allatam Diadocho probabiliter vindicandam esse censeo. Sunt alia quoque multa in aliis scriptis a Proclo et Olympiodoro[2]) similiter atque in scholiis ad Theaetetum exposita, ad cuius commentarium saepius nos relegamur: At res plana est. — Eorum tantum scholiorum, quae magis grammatici, quam philosophi sunt, non ille auctor fuisse censendus est.

4. DE SCHOLIIS AD ALCIBIADEM PRIOREM.

Proclus et Olympiodorus in hunc scripserunt commentarios, qui ad nos perdurarunt et nunc literis impressi extant, Procli a Cousinio (in Procli opp. vol. 1—3) et utriusque etiam a Creuzero (1820 sub titulo: Initia philosophiae et theologiae).

Ac scholia quidem non ex alterius utrius libro fluxerunt, sed utrique interpreti debentur. Interdum ambiguum est, unde quaedam scholia hausta sint, quoniam Olympiodorus saepissime eadem aut simillima atque Proclus tradit. Id tamen certissimum est, omnia fere scholia ex eorum libris manavisse; et si utriusque commentarium accurate cum glossis contulerimus,

---

[1]) *ἀδολέσχους* codex.

[2]) Velut de voce *ποιότης* in proleg. (Olymp.) ad Plat. philosoph. cap. V. = p. 200. Edit. Herm.; cfr. schol. ad Theaet. 182 A (p. 246 H = 364 B).

concedemus pauca Proclo, plurima Olympiodoro accepta referenda esse. Longum est, omnes locos, quos scholiasta inspexit, excitare; qua re nonnullos tantum afferemus notabiliores, quibus scholiastae simul excerpendi rationem cognoscamus.

Jam in gl. 103 A *τὸ ἀπαρ.* (276 H = 385 Bkk.) scholiasta utrumque sequitur; uberius enim de *ἐνθέῳ ἐραστῇ* Olympiodorus pag. 13 (Edit. Creuz.; cfr. p. 26; 28) loquitur; etiam de Socratis daemonio pag. 15 disputat et nos docet de eo ab interpretibus iam antea actum esse atque sic profitetur se sua ex eis hausisse. Attamen ibi Proclum scholiasta expilavit. Ille enim pag. 78 (Edit. Creuz.) *λέγεται δή*, inquit, *περὶ αὐτοῦ* (scil. *τοῦ Σωκρατικοῦ δαιμονίου*) *τρία . . ἓν μὲν ὡς οὐ μόνον δαίμων ἐστίν, ἀλλὰ καὶ ὡς θεός. καὶ γὰρ ἐν τούτῳ τῷ διαλόγῳ προελθὼν λέγει σαφῶς . . τὸν αὐτὸν ἄρα δαίμονα λέγει καὶ θεόν, περὶ οὗ γὰρ εἴρηται τὸ δαιμόνιον ἐναντίωμα, οὗ σὺ τὴν δύναμιν καὶ ὕστερον πεύσει, τοῦτον ἐπεκάλεσε θεόν . . .* cfr. Procl. etiam p. 114 et 46 init.; paullo minus convenit Olympiodorus p. 191 extr. (*θεὸν λέγει τὸν εἰληχότα δαίμονα, τοῦτο(ν) γὰρ καὶ ἄνω θεὸν ἔλεγεν.* Quod autem attinet ad verba scholiastae «*τοῦτο δὲ καὶ Ὅμηρος ποιεῖ κ. τ. λ.*», hic iterum Olympiodorum consuluit (p. 15): *καὶ Ὅμηρος* (Il. *α.* 222) *μετὰ δαίμονας ἄλλους . . . ἐπὶ γὰρ τοῦ θείου ἐν τούτοις τὸ τοῦ δαίμονος ὄνομα τέτακται.*

Glossam quae sequitur Olympiodorus praebuit (p. 26), qui tamen verbosius disserit (*οὐχ ὡς καί*). Item contraxit scholiasta ea, quae in gl. 104 B *προειπών* affert et ibidem invenit p. 31; p. 36; quae vero p. 31 apud Olympiodorum leguntur, ille ne intellexit quidem: nam *τὰ ὑπάρχοντα* sunt eadem ac *τὰ ἐκτός* vel *τὰ ἔξωθεν* (cfr. Olymp. etiam p. 14; et Procl. p. 103 quem ille ante oculos habuit).

Scholion 105 A *ἰστέον* memorabile est eo, quod duobus e fontibus conglutinatum est; posteriora Pollucis sunt (Onomastic. l. VIII. § 105), priora Proclo reddere malim quam Olympiodoro. Qui quamvis confiteatur se Proclum secutum esse,

praepropere eum inspexisse et negligentissime descripsisse putandus est. Proclus enim paucis diebus post dicit Alcibiadem *τὴν ἐφηβίαν* ad finem perducturum vicesimumque annum ingressurum esse et 20 annos natum rerum publicarum participem fore (vide p. 146; et cfr. p. 186); Olympiodorus autem duobus locis (p. 50 et p. 43[1]) ex Procli sententia Alcibiadem viginti diebus peractis *εἰς ἐφήβους* receptum iri refert. Unde quidem utriusque errores nati sint, quaerere nil attinet (vide Schaefer. Demosthen. u. s. Zeit; vol. III. p. 37). Errat nempe Proclus cum dicit: *μετὰ τὴν ἐφηβίαν . . ὥσπερ ἔτος εἰκοστὸν* iuvenibus *ἀγορεύειν* licuisse (p. 146; cfr. p. 186). Namque iam ineunte 18. anno (Schaefer ibid. p. 34/5) *εἰς τὸ ληξιαρχικὸν γραμματεῖον* vel *εἰς δημότας* (Schaefer p. 28) inscripti Athenienses in civium numerum adsciscebantur ac rerum publicarum participes fiebant (Sch. ibid. p. 30 extr.; cfr. etiam p. 36 med.). Eundem errorem etiam Olympiodorus commisit; sed ne Pollux quidem vere et recte iudicat, quippe qui dicat: *εἰκοστῷ δὲ ἐνεγράφοντο τῷ ληξιαρχικῷ γραμματείῳ* (Schaefer libr. cit. p. 37; eorum qui de ephebis peripolis scripserunt opiniones inter se discrepantes recenset C. Fr. Herm. Gr. Staatsalt. § 121. c. nota.). — Pollucis autem explicationem scholiasta magis ob Procli ipsius, quam ob Platonis verba apposuit (cfr. supra p. 9 de voce *τέναγος* etc. et infra cap. VI. extrem. de voce *φασκώλ.*).

Gl. 105 B *τὸ ἐνδειξάμενος ἐπὶ τοῦ λογικοῦ τάττει. τὸ δὲ ἐπιδειξάμενος ἐπὶ τοῦ ἀποτάδην*, ubi Ruhnkenius pro *λογικοῦ* ponit *λογισμοῦ*. At neutra lectio quadrat et quam Olympiodorus (p. 58 med. *διαλογικοῦ σχήματος*) exhibet, ea recipienda est. Qui cum addit: *διὸ καὶ ἀντιδιαιρεῖ αὐτὰ ἀλλήλοις πανταχοῦ. οὕτως οὖν καὶ ἐνταῦθα τούτῳ* (scil. *ἐνδειξάμενος*) *κέχρηται, ὅτι ἐρωτῶν καὶ ἀποκρινόμενος δείξω*, de colloquiis cogitasse manifestus est.

---

[1]) Ad Olymp. verba *μετὰ δὲ κ'. ἡμέρας, ὡς ἱστορεῖ ὁ Πρόκλος, ἔμελλεν ἐγγράφεσθαι εἰς ἐφήβους* in margine legitur: *κ' ἔτος.*

In glossa quae subsequitur 106 A Olympiodorus contra e scholiis emendari potest. Ille enim *ἀτοπώτερος* explicat *θαυμαστώτερος* (sic) pag. 59 (cum not. 41), paullo infra recte *θαυμασιώτερος* exhibet, id quod in scholiis quoque occurrit et ad cetera vocabula glossae melius se habet. (cfr. Lex. Bachm. = Anecd. Bachm. vol. I. p. 160, 17).

Scholiasta compluribus locis de dialogi partibus earumque argumentis et imprimis de syllogismis quae disputat: 110 D (p. 277 H = p. 321 B), 112 E (p. 278 H; omitt. B.), 115 A (p. 279 H; omitt. B), ex eodem Olympiodoro sumpsit. Qui item ac scholiasta dialogum in tres dirimit partes (p. 11 init.; cfr. p. 57 init. et p. 62: *ἐν τούτοις* . . et *ἀρχή* . . .).

Tres glossae proximae 107 E *λεληθότως* et *ἀκροχειρίζεσθαι*, 108 A *ὅρα* non satis similes apud Olympiodorum extant; qui etiam de *ἑλληνίζειν* voce (schol. 111 A) alia docet. Nam hac comprehendi dicit duas res, *τὸ ἁπλῶς Ἑλλάδι φωνῇ μόνῃ κεχρῆσθαι καὶ τὸ ἀπταίστως διαλέγεσθαι.* Proclus autem (p. 258 extr. et seq.) aeque ac scholiasta tres distinguit, quibus comparatis illum scholiorum ipsiusque Olympiodori fontem fuisse consentaneum est (vide hunc p. 95). Nec minus glossae quae huic antecedunt *λεληθότ.* et *ὅρα* [1]) eidem Proclo reddendae sunt. Quanquam enim commentarii pars ea, quae spectaverat ad dialogum a pag. 107 A usque ad 108 D periit, Proclus ipse (p. 205 vers. fin.) indicat, quae capitibus deperditis exposuerit: *δέδεικται οὖν ἐνταῦθα πρότερον μὲν οὖν, ὅτι αἱ ἕξεις ἐν ἡμῖν αἱ τεχνικαὶ καὶ ἐπιστημονικαὶ θεοὺς ἐφόρους ἔχουσι καὶ ἀπὸ θεῶν ὥρμηνται τὴν πρώτην. δεύτερον δὲ ὅτι καὶ τὰ ὀνόματα ταῖς εἰκόσιν ἀπὸ τῶν παραδειγμάτων μετὰ τῆς οὐσίας ἐνδίδοται. τρίτον ὅτι τὰ παρωνύμως ἀπό τινων λεγόμενα τριῶν δεῖται τούτων, τοῦ κοινωνεῖν τῆς οὐσίας, τῆς τοῦ ὀνόματος μεθέξεως, τῆς κατὰ τὴν τελευταίαν συλλαβὴν διαφορᾶς* (vide etiam antea). Similiter ac scholiasta (108 A vers. fin.) Olympio-

---

[1]) *ἀκροχειρίζεσθαι* est e Timaei Sophistae lexico Platonico.

dorus, quamvis breviter, de arte musica et numeris disserit (p. 83 et 78) atque magistrum suum de ἀκριβείᾳ ὀνομάτων scripsisse testatur (p. 75 med.).

Quae vero scholiasta in gl. 107 E (p. 277 H; omitt. B) de exemplis a Socrate adhibitis (γυμναστικῇ et μουσικῇ), tanquam Alcibiadi cognitis, disputat, ea rursus Olympiodorus simili modo exponit, qui (pag. 74 med.) οἰκεῖα καὶ σαφῆ ea dicit.

Etiam in multis aliis glossis scholiasta modo Olympiodorum, modo uterque Proclum sequitur; nam quicquid apud illum de syllogismis legitur ex Olympiodoro haustum, id hic ipse Diadocho debet, qui aeque tres distinxerat dialogi partes, Jamblichum secutus, celeberrimum illum Neoplatonicum, qui quarto saeculo vixit et complures Platonis dialogos interpretatus est (vide Procl. p. 13 et p. 12). Necnon scholia 112 E τὸ τῆς Φαίδρας (p. 278 H = 385 B), 113 B ἐπειδή (ibid.), 113 D ἄρχεται ex Olympiodoro sunt hausta (p. 101; 102; 106); hic vero Procli libris usus est (p. 292 et 289; 290; 294). Qui utriusque fons fuit in scholio πῶς χρηστέον 113 C (vide Olymp. p. 104; Procl. p. 291/2); consutum est schol. 113 E οὐδὲν γὰρ δέος ex Olympiodoro p. 108 et 106; 107; 100 (cfr. Procl. p. 300).

At haec satis sunto ad iudicium, quod p. 12 tulimus, confirmandum. Nec iuvat de Olympiodori ipsius fontibus accuratius exponere: quos sequitur eos haud raro nuncupat multosque affert auctores, imprimis Proclum, Jamblichum, Damascium, quibus pleraque, sibi nihil fere se debere fatetur (vide Creuzeri praefat. et indicem scriptor.). Maximi autem momenti fuisse videntur ea, quae Jamblichus in commentario ab utroque usurpato disputaverat.

De ceteris glossis, quas nondum commemoravimus, sic iudicandum est: Plurimae ex eisdem fontibus fluxerunt; pauciores, quae restant, aliis debentur; sed utrumque genus glossarum facillime dinoscitur; nam Neoplatonici consilia argumentaque dialogorum explicant, rarius autem

singulas voces explanandas sibi proposuerunt, et si quando harum interpretationes afferunt, theologi ac philosophi munere magis quam grammatici funguntur. — De eis vero glossis, quae non ex eorum copiis haustae sunt, velut de geographicis, proverbiis, aliis, postea hic illic locus erit disputandi.

5. DE SCHOLIIS AD PHAEDONEM.

Etiam ad Phaedonem et Proclus et Olympiodorus commentarios composuerunt. Illius autem *ὑπόμνημα* non servatum esse videtur, huius libro, initio et fine mutilo [1]) scholiasta usus est, qui eas fere omnes glossas, quae ad philosophiam pertinent, ex eo sumpsit. Quarum numerus cum non adeo magnus sit, et eas afferam, quae in commentario nunc quoque inveniuntur, et eas quas verosimile est non ad Olympiodorum (aut Proclum) referendas esse.

Schol. 61 C · *συντονώτερον* (p. 230 H = 379 B) fluxit ex Olymp. p. 6, vers. 25 (Edit. Christ. Eberh. Finkh. Heilbronn. 1847); (schol. 61 D *κατὰ τόν* cfr. cum schol. 62 B *ἐντεῦθεν*); schol. 61 D (*οὗτος ὁ Φιλόλαος*) ex Ol. p. 7; schol. 61 E *τὸ μέν* et *ὡς ζήσεσθαι* ex Ol. p. 9, 13 (cfr. de epichirematis ibidem p. 1, 13) et ex p. 9, 20; schol. 62 A *οἷον πλοῦτος* ex eodem p. 10, 5; ubi *δόξα* quidem vocabulum deest; at simili modo apud hunc *πάντως* adverbium in nullo codice M. S. traditur nisi in M. [2]); 62 A *ἐγέλασε* ex Ol. 10, 10 (cfr. etiam schol. ad Epist. VII. p. 345 A (p. 391 H = 463 B et nos infra p. 41/2); similiter de dialecto Olympiodorus agit ad Gorg. 450 E et 450 B *χειρούργημα* et *κύρωσις* (p. 299 et 300 H = p. 339 B); scholion 62 B *ἐντεῦθεν* usque ad *ληφθέν* ex Olymp. p. 1, 10;

---

[1]) Interpretatio deest ab initio dialogi usque ad 61 C.

[2]) Finkhius haec Olympiodori commentaria non qualia primitus scripta sint extare dicit, sed contracta decurtataque.

2, 20; quae deinceps addita sunt, fluxerunt ex Olymp. 1, 10 (cfr. 2, 19 sq.).

Non pauca scholia restant, quae quin Olympiodoro abiudicanda sint, vix dubium est; inter ea refero haec fere: schol. 58 B *ἀντὶ τοῦ*, schol. 60 B *ἄτοπον*, schol. 64 A *κινδυνεύουσιν*] *ἀντί* et tria quae subsequuntur apud Herm. Bekk. Ruhnk.; schol. 65 B *ἐάν*, schol. 72 A *Ἀττικοί* et *ὁμοῦ*, schol. 86 E *ἤγουν* et quae deinceps afferuntur de vocibus *θρᾶττον*, *πρὸς δύο οὐδ' ὁ Ἡρ.*, *ὑπερήφανος*, *καρδόπῳ*, *δεύτερος πλοῦς*, schol. 101 D *τὴν αὑτοῦ*, schol. 102 D *ἐπειδή*, 103 B *σημείωσαι*, schol. 107 A *ἀναβάλλοιτο*, schol. 107 B *ἕρμαιον*, schol. 107 E *πορεῦσαι*, schol. 108 D *Γλαύκου*, schol. 110 E *κατεδηδεσμέν.*, schol. 111 E *αἰώραν*, schol. 114 C *ὁ μηδενός*, schol. 117 C *ἀντὶ τοῦ* . .; — de nonnullis aliis nihil diiudico; ex perdita vero commentarii parte perpauca tantum (fortasse nulla) in scholia transiisse pro certo habeo. Neque ullum scholion invenitur, quod probabiliter Proclo restituas.

Dignum quod commemoretur id addam Olympiodorum ipsum p. 41, 19 Diodochi eiusque magistri Syriani *ὑπομνημάτων* mentionem facere, unde iam de universo illius libro et fontibus eius coniecturam facias (videsis etiam p. 42, 20).

6. DE SCHOLIIS AD GORGIAM.

Hunc dialogum illustraverunt Proclus, Hierocles[1]), Taurus Berytius, Eubulus, Olympiodorus, cuius liber solus servatus et, postquam ex eo satis multae particulae a viris doctis hic illic

---

[1]) De Hierocle vide Phot. Bibl. cod. 242. p. 551 Ed. Hoesch. (1601) = II. p. 338ᵇ 29 seq. Bekk.; de Tauro Gell. Noct. Att. 7. 14. 5; Zeller Gesch. d. Phil. d. Gr. Edit. alt. vol. III. prt. I. p. 718 adnot. 3; p. 719 adnot. 3; de Eubulo Porphyr. vit. Plot. cap. 20: *Εὐβούλῳ δὲ τὸ περὶ τοῦ Φιλήβου καὶ τοῦ Γοργίου καὶ τῶν Ἀριστοτέλει πρὸς τὴν Πλάτων. πολιτείαν ἀντειρημένων* (sc. *γέγραπται*). — Fabric. Bibl. Gr. vol. III. p. 87 seq. Edit. IV; Nicol. Gr. Lit.-gesch. vol. III. p. 283 (Edit. alt.).

iam prolatae erant, totus editus est ab Alb. Jahnio (in Jahnii Archiv. vol. XIV. 1848 = Jahnii Annal. supplem. vol. XIV).

Ibi quoque Olympiodori commentarium scholiorum praecipuum fontem fuisse statim apparet. Desiderantur quidem in illo libro non solum glossae geographicae, Platonicae et rhetoricae (i. e. gl. e lexicis Plat. et rhetoric. receptae), sed etiam multae ad philosophiam spectantes non illi debentur. Attamen sexcentis locis scholia cum Olympiodoro accurate conveniunt, velut schol. 247 B *παροιμιακόν* (p. 298 H = 338 B) cum Olymp. p. 10 (= p. cod. M. S. = p. 115 Jahn. Arch.); schol. 447 B *ἀρχή* cum Ol. p. 4 extr.; schol. 447 C *ταῦτα* cum Ol. p. 15 extr.; schol. 448 B *οὗτος* cum Ol. p. 17 med.; schol. quod subsequitur *οὗτος Πολύγν.* cum Ol. p. 17 extr.; schol. 448 C *φασί* cum Ol. p. 19 med.; schol. 448 C *σκόπει* cum Ol. p. 19 init. et p. 20 med.; schol. 448 D *οὐ γάρ τί ἐστιν* cum Ol. p. 18 med. (cfr. p. 19 med. et p. 20 med.). — Saepe similia tantum traduntur, quamvis quin scholiasta ex Olympiodoro hauserit, non dubium sit, velut schol. 447 A *παροιμία* (p. 297 H = 337 B); nam Olympiodorus p. 8 init. habet: *Καλλικλῆς.. λέγει.. ὅτι ὄντος πολέμου καὶ μάχης ἐπικειμένης ἔδει σε ὑστερῆσαι· ἐν γὰρ τοῖς τοιούτοις ἀπολιμπάνεσθαι καλόν... νῦν δὲ ἐπιδείξεως οὔσης, πῶς ὑστέρησας.* Ea, quae in primo et secundo scholiis leguntur, eandem quidem sententiam produnt, sed auctam et ex Olympiodoro suppletam (cfr. *λόγων δὲ οὔ* et *ἀλλ' οὐχὶ τῆς ἐν λόγοις ἡδονῆς* cum Ol. *ἐπιδείξεως οὔσης*). Neque quicquam secundo (*ἐλλειπτικῶς* usque ad *Γοργ.*) continetur nisi id, quod in fine scholii antecedentis extat (*παρεγγυᾷ* usque ad *λόγων δὲ οὔ*). Huiuscemodi autem duplices recensiones etiam alibi in scholiis inveniemus.

Hic illic scholiasta plura quam Olympiodorus praebet et huius verbis alia adsuit; velut hic omittit neque tradit verba *καὶ τοῦ χρηστηρίου ἀνελόντος*, ab illo addita in scholio 447 B (*παροιμιακόν*); item in scholio 447 C *ταῦτα* extrema verba *εἶτα* usque ad *ἐντυγχάνουσιν*, in scholio 448 B *οὗτος*

verba ἐν Πολιτείᾳ et in sequenti scholio versus, qui afferuntur, Simonidis (quos vide etiam apud Pausan. X. cap. 27 fin.); scholion 447 A ἡ ἀνάγκη (p. 298 H = 338 B) Ruhnkenius et Bekkerus in codicibus suis M. S. et Schanzius in cod. Veneto et Clarkiano invenerunt; sed in hoc etiam aliud simile ad hunc locum scholion extat, magis quam illud cum Olympiodoro congruum. Hic enim (p. 10 init.) φαμὲν οὖν, inquit, ὅτι ἡ ἀνάγκη διττή ἐστιν, ἡ μὲν ὑλική, ὡς ὅταν εἴπωσιν οἱ ἰατροί· ἀνάγκην ἔχεις φλεβοτομηθῆναι, ἐπεὶ νοσήσεις· θεία δέ, ὡς ὅταν λέγωμεν· ἀνάγκην ἔχει ὁ θεὸς εὐεργετεῖν τὸν κόσμον, ἀντὶ τοῦ ἀναγκαίως· ταύτην τὴν ἀνάγκην ἠναγκάζετο καὶ ὁ Σωκράτης, διὰ δὲ τοῦ Χαιρεφῶντος θηρᾷ τοὺς νέους· et ibid. p. 9 extr.: τοῦ μὴ εὑρεθῆναί μέ φησιν (φασὶν cod.; emend. Jahn.), ὦ Καλλίκλεις, αἴτιος γέγονεν ὁ Χαιρεφῶν ἀναγκάσας με ἐπὶ πολὺ διατρῖψαι ἐν ἀγορᾷ· καὶ ἄξιον ζητῆσαι, πῶς φιλόσοφος ἀγοράζει .. (p. 10 init.), ὁ δὲ φιλόσοφος (scil. ἀγοράζει), ἵνα νέους πλανωμένους ἐπιστρέφοι καὶ πρὸς τὸ κάλλιον φέροι· οὕτω καὶ Θεαίτητον σωφρονίζει... In scholio vero, quod, si sensum spectas, congruit, ἀνάγκαι distinguuntur ἡ μὲν πρὸς βίαν, ἡ δὲ κατὰ φύσιν, tanquam scholiasta (Christianus?) divinam necessitatem non Socrati, sed deo soli attribuere voluisset (καὶ πρὸ τούτων θεοῦ). In eodem Clarkiano a recentiore manu scriptum (sec. Gaisf. Lection. Plat. Ox. 1820 p. 174 ad Ruhnk. schol. p. 100, 15) scholion legitur evanidum et mancum: ἀνάγκη διττή, ἡ μὲν ὑλική, ἐὰν εἴπωσιν οἱ ἰατροί· ἀνάγκην ἔχεις.. Additamenta habet etiam scholion 501 A (p. 320 H = 354 B) ἀντί· nam eis, quae recepta sunt ex Olymp. p. 130 init., adiciuntur: καὶ πάντα κατ' αὐτοὺς διατέτακται, ὡς ὁ Πυθαγόρειος διδάσκει λόγος· item scholion 507 D σκοπός (p. 322 H = 356 B) usque ad ἀχθείς ex Olympiodoro (p. 139 init.) transcriptum, qui cetera non exhibet.

Magis autem quam hae glossae, quas attulimus, ab Olympiodoro differt scholion 449 A Ἀριστοτέλης (p. 299 H = 338 B); nam ὅρα τοίνυν, πῶς καὶ ὁ Πλάτων διακρίνει καὶ

πρὸς Ἀριστοτέλους τὰ προβλήματα breviter dicit Olympiodorus p. 21 med., sed non indicat ullam inter utriusque philosophi opiniones differentiam, quamvis paullo post (ibid. extr.) Platonis sine dubio artium rhetoricarum divisionem apponat: *ἰστέον τοίνυν, ὅτι δύο εἰσὶ ῥητορικαί· τούτων καὶ τὰ γένη καὶ τὰ τέλη καὶ αἱ ὁδοὶ διάφοροι· τῆς μὲν γὰρ γένος* (utram intellegat, non significat; *τῆς μὲν ἀληθοῦς??*), *ὁ τεχνίτης, τῆς δὲ ψευδοῦς* (p. 22), *ἡ ἐμπειρία· πάλιν τῆς μὲν ἀληθοῦς τέλος, τὸ ἀγαθόν, τῆς δὲ ἄλλης, τὸ πεῖσαι, εἴτε κακόν ἐστιν, εἴτε οὔ. κ. τ. λ.*[1]).

Fallacem rhetoricam idem (p. 45 extr.) commemorat additque: *ἐπειδὴ καὶ ἐν Φαίδρῳ ἐπαινεῖ τὴν ἀληθῆ ῥητορικήν*, quod componendum est cum eiusdem verbis (p. 65 extr.): *Ἰστέον δὲ ὅτι περὶ τῆς δημώδους λέγει, ἐπεὶ ἐν τῷ Φαίδρῳ τὴν ἀληθῆ τῇ ἰατρικῇ ἀντίστροφον λέγει.* His et aliis locis quaedam scholio similia inveniuntur. Attamen ex Olympiodoro Aristotelis et Sophistarum illam de unica arte rhetorica in bonam malamque partem adhibita opinionem scholiasta non cognovit atque in ceteris ab illo admodum discedit. — Item etiam in glossis 449 E *ὁ μὲν Σωκράτ.* et *ἰστέον ὅτι* (p. 299 H = 339 B) inter se similibus plura leguntur quam quae scholiastae Olympiodorus suppeditare potuit, qui (ab initio *πράξεως δ'* usque ad p. 24 extr.) cum priore glossa et (p. 26) cum altera satis quidem congruit, sed nihil tradit de dialectico theoremate: *τὸ τὰς ἀπροσδιορίστους προτάσεις ἐκκλίνειν καὶ ἀποστρέφεσθαι.* Quae omnia scholiasta haud scio an copiosa loquacitate effinxerit e verbis Olympiodori (p. 24 med.) paucissimis: *ὅπερ* (scil. *τὰ ἰδίως ὑπάρχοντα τῇ ῥητορικῇ οὐκ εἶπεν*) *ἴδιον ὁρισμοῦ.* Eandem nempe licentiam sibi sumpsit in compilando altero scholio, ut vix dicas, utrum Olympiodorum secutus

---

[1]) Similia vide p. 11 fin.: *ἰστέον τοίνυν, ὅτι ἡ ῥητορικὴ διττή ἐστιν, ἡ μὲν ἀληθὴς καὶ τεχνική, ἡ δὲ ψευδώνυμος καὶ ἐμπειρία, καὶ τεχνικὴ μέν ἐστιν ἡ τῷ πολιτικῷ ἑπομένη, ψευδώνυμος δὲ ἡ πρὸς ἡδονὴν ὁρῶσα* (cfr. p. 15 init.).

sit necne. Quem inspicias velim p. 26 (fin.) haec tradentem: *νῦν δὲ συγκέχυνται* (sic) *ταῦτα*· scholiasta autem verbosius sic exponit: *Γοργίας ἀγνοῶν περιπίπτει*, et: *ὑποκατιὼν δὲ ὁ σοφιστὴς συμφύρει πάντα*. Olympiodorus p. 26 med.: *ὁ τοίνυν Σωκράτης, ἐπειδὴ οὐκ ἐβούλετο ἀδοξῆσαι τὸν Γοργίαν*.. et pag. 24. vers. fin.: *δεῖ τοίνυν εἰδέναι, ὅτι τὰ δύο αὐτῷ* (scil. *τῷ Γοργίᾳ*) *οὐκ ἐγκαλεῖ* (scil. *ὁ Σωκράτης*) et paullo infra: *παρῆκε* (*Σωκράτης*) *διὰ τοῦτο* (= Socrates Gorgiam non vituperat). Scholion vero: *καὶ διὰ τοῦτο ἀνατέτραπται ὑπὸ τοῦ ἐπιστήμονος*[1]). Necnon confictum videmus theorema scholii 450 C *ἐπίστησον* (p. 299 extr. H = 339 B) ex Olympiodori verbis p. 18 med.

Itaque in glossis haud paucis, quibus aliae multae addi possunt, scholiastam aut pleniorem Olympiodoro esse aut ab hoc satis differre repperimus; qua re illum non solum eius, verum etiam alius cuiusdam interpretis commentariis usum esse fit verosimillimum. — Quae sententia probari videtur, primum eo, quod glossae duplices sibi simillimae inveniuntur, deinde, quod multae longiores, quas in Olympiodoro frustra quaesiveris, commentatorem aliquem produnt admodum doctum et in antiqua philosophia versatum, etsi concedimus a scholiasta ipso hanc illam glossam ex Olympiodori frustulis conglutinatam, aut auctam, aut ad diversos Platonis locos repetitam esse (velut glossas, quae ad divisionem dialogi et ad prosopographiam pertinent): Namque in commentario p. 77 init. Olympiodorus Platonem *ἐν τῇ Πολιτείᾳ* disputavisse dicit de bona et laudabili tyrannide; at verba philosophi, quae affert, non ad Remp., sed ad Leges IV. 709 E sq. referenda sunt; qua re scholion Gorg. 469 B *οἶδεν ὁ Σωκρ.* (p. 311 H; Bekk. omittit) . . . *ἐν τοῖς Νόμοις* non ex Olympiodoro sumi potuit. Deinde apud hunc desiderantur:

---

[1]) cfr. etiam schol. 505 C *αἴνιγμα* (p. 321 H = 355 B) cum Olymp. qui p. 135 med. alia profert.

schol. 463 A ἐκ τῶν προκειμένων (Aristoteles citatur) et quod subsequitur schol. ἐν Πολιτικῷ (iterum ad alium dialogum relegamur); schol. 466 E τρία· schol. 467 B ὁ Πῶλος· schol. 468 B et D ἐκ τούτων (Leges laudantur) et ὁ μὲν Γοργίας· schol. 468 E ὁ πλημμελῶς· schol. 502 B ὡς εὐδοκιμοῦσα et ἰστέον (p. 321 H = p. 355 B; cfr. Olymp. p. 132 init.); schol. 508 A ταύτην usque ad ὡρισμένων (p. 323 H = 356 B; referimur ad Leges [1]); quae in scholio sequenti leguntur, non longe absunt ab Olympiodoro p. 139 med. [2]). — Duos auctores scholiasta item secutus est ad 507 D ἀντὶ τοῦ· in priore parte (usque ad Ἴδης) Olympiodorum (p. 138 fin.), cuius verbis ille addit ipse: τοῦ ὄρους, et affert alia aliunde accepta, Plotini testimonio munita, quem ille potius per alium cognovisse quam ipse inspexisse censendus est. Nec magis Olympiodoro debetur gl. 506 C ἐξ ἀρχῆς (p. 322 H = 356 B), qua laudantur Platonis Parmenides, Respublica, Philebus; quod scholion eidem auctori tribuo ac schol. 506 D τοῦτο ὅπερ, ubi nota ἐλέγομεν verbum ad prius scholion referendum, in quo extremo φαμὲν similiter extat.

Jam in disputatione de scholiis ad Alcibiadem priorem cognovimus duorum interpretum, Procli et Olympiodori, commentarios scholiastae ad manum fuisse et ex altero pauciora, plura ex altero in scholia fluxisse. Nec minus in his ad Gorgiam scholiis scholiasta Olympiodoro fonte praecipuo usus est; glossarum autem, quae ab eodem aut non traditae aut aliter expositae sunt, auctorem Proclum fuisse suspicor, quamvis certa argumenta, quibus coniecturam confirmem, afferre nequeam (cfr. infra not. 1). Illi glossae deberi videntur, quae Olympiodoreis

---

[1]) Cum hoc priore apud Herm. scholio confer Proclum ad Remp. p. 431. lin. 16. a super. (Edit. Basil. 1534): λόγον γάρ ἐστιν ἀναλογία ταυτότης καὶ δεσμῶν ὁ κάλλιστος ὡς ἐν Τιμαίῳ μεμαθήκαμεν καὶ Διὸς κρίσις ὡς ἐν Νόμοις ἠκούσαμεν (Leg. 757 B).

[2]) Accuratius tamen convenit Theon Smyrn. Περὶ τῶν κατὰ μαθηματικὴν χρησίμων ... p. 133 et 180 (Edit. Ism. Bull. Lutet. 1644).

similes quidem, sed multo pleniores exhibentur, et ea additamenta, quibus illae haud raro auctae sunt. Diadochum tamen Olympiodorus semel tantum laudat (p. 100 med.: illius nomen, non autem commentarium affert.). Multo vero plura, si e numero locorum aliquid concludi potest, ab Ammonio Olympiodorus mutuatus est, unde verosimile fit hunc ipsum in Gorgiam commentatum esse, licet nihil tale compertum habeamus[1]):

7. DE SCHOLIIS AD PHAEDRUM.

Proclus commentarii sui ad Phaedrum, nunc perditi, meminit ad Timaeum p. 329 D (Edit. Schneid. et Basil. item p. 329): δέδεικται . . ἡμῖν ἐν ταῖς εἰς Φαῖδρον συνουσίαις. Attamen scholiasta non eius, sed Hermiae Alexandrini libris usus est, qui pater Heliodori et Ammonii (v. supra et infra not. 1) fuit (cfr. Phot. Bibl. cod. 242 p. 554. Edit. Hoesch. [1601] = p. 341ᵃ 8 Bekk.) et Damascium simulque cum Proclo Syrianum magistros habuit atque versus finem quinti saeculi floruit (cfr. Phot. l. c. et cod. 181 p. 213. Edit. Hoesch. = p. 127ᵃ 6 Bekk.); Fabric. Bibl. Gr. vol. III. p. 82, Edit. IV; Ed. Zeller: Philos. d. Gr. alter. Edit. vol. III. part. alt. (1868) p. 747 sq.

Ac primum quidem scholion 227 A φησίν (p. 262 H = 311 B) unde sumptum sit, scholiasta ipse indicat (vide Olymp. comment. ad Alcib. p. 10. Edit. Creuz.; [Olymp.] Proleg. ad Plat. philos. cap. XXIV = p. 217. Edit. Herm.).

Quod autem ad scholia ex Hermiae commentario recepta attinet, eorum non omnium locos, unde manaverunt, adnotabo, sed indicabo primum, quae Hermiae non debeantur, deinde de nonnullis universe loquar ac proferam, quae memoratu digna sunt. — Hermiae non sunt: schol. 227 B (Ἀττική, p. 263 H = p. 311 B); 227 E (ἐπ' αὐτό); 228 C (utrumque ταχέως et

[1]) Olympiodorus Ammonium celato nomine sequitur in glossa quoque quam vide in scholio 451 B ἐν ταῖς ἐκκλησίαις (p. 300 H = p. 340 B); apud Olymp. p. 29; et apud Theon. Smyrn. libro cit. p. 198.

ὁπωσδήποτε); 228 B et D (συνενθουσιῶντα et ἀντί); 229 D et E (δικαστήριον et ἐπίγραμμα); 230 A (Τυφών); 230 B (Ἀχελῷος); 234 D (duo: φαιδρύνεσθαι et σὺν σοὶ ἐπί); 235 C (Σαπφώ); 236 B (inde ab Ὀλυμπία); 237 B (αἱμύλος); 240 C (ἧλικα); 241 B (ὀστράκου); 242 A et B (σταθερόν et οὐ πόλεμον); 242 C (ἔθραξεν et quod in codice Clark. scholiasta adnotat: ὑπώπτευον); 242 C (ἁμαρτών); 243 A et B (Πέργαμα et παλινῳδίαν); 244 B (Σίβυλλαι · extrema pars inde a πᾶσαι Hermiae est); 254 E (ὕσπληξ); 258 E (θάλπει); 259 D (πέμπουσιν) et quod sequitur 260 C (ὄνου σκιά); 260 C (καρπόν); 262 A (σύνδεσμος); 264 A duo scholia ὄντως et διακολυμβᾶν item desunt apud Hermiam atque tria quae traduntur ultima: λύκου ῥήματα (?), Ἀδώνιδος κῆποι, κοινὰ τὰ τῶν φίλων.

Hermias, praeterquam quod de dialogi argumento et sententiarum conexu accurate disputat, etiam de institutis publicis et proverbiis haud contemnenda affert; quo ex genere glossarum ei scholiasta debet scholii 235 D (p. 266 H = p. 312 B) οἱ ἐννέα ἄρχοντες priorem partem (vide comment. Herm. p. 81. Edit. Ast.); item schol. 236 B de Cypselo exceptis eis, quae de Olympia et Olympiis exhibeatur (Herm. ibid.). — Plus semel quae Hermias directa oratione exponit, scholiasta indirecta transtulit, velut schol. 228 A (prior gl. p. 263 Herm. = 312 B): Hermias p. 72 init.

Ex hoc non omnium proverbiorum explicationes recepit, sed modo eum sequitur, modo alios consuluit, etsi Hermias ea non neglexerat. Cuius e commentario hausta sunt scholia 236. B ἀπὸ μεταφορᾶς (p. 267 H = 313 B) e p. 82 med.; extremum tamen glossae enuntiatum ὡς καὶ νῦν ὁ Σωκράτης... a scholiasta adiectum est [1]). Non satis constat de proverbio γλυκὺς ἀγκών 257 D (p. 271 H = 316 B). Mihi quidem hoc scholion consutum esse videtur ex Hermia (p. 176 med.),

[1]) Etiam in gl. sequenti verba: ἔθος usque ad τοῦτο Hermiae (p. 82), cetera scholiastae reddenda sunt.

qui convenit cum verbis ἐπὶ τῶν κατειρωνευομένων usque ad δυσχερές, et ex paroemigraphi Coislin. explicatione quam scholio simillimam (inde a verbis ἔνιοι...) vide in Corp. paroemiogr. Gr. I. p. 486. not. 4. Edit. Leutsch. et Schneid. et in nota Bernh. ad Suid. s. v. γλυκὺς ἀγκών· etiamsi Hermias ἐν τῇ Μεμφίδι omittat, tamen mihi videor recte statuisse: nam ob Hermiae genus dicendi ibi minus elegans ac satis abruptum est cur dubitemus, num eius verba integra sint. Quae vero ille docet de proverbiis Ἀδώνιδος κῆποι (schol. 276 B), κοινὰ τὰ τῶν φίλων, ὄνου σκιά (schol. 260 C), ea scholiasta aspernatus alios expilavit (cfr. Hermiam p. 202; p. 204 extr.; p. 182 med.).

Contaminata esse videtur glossa 230 B (p. 264 H = 312 B) ἄγνος ex Hermiae verbis (p. 75 med.): ἄγνος ὅ ἐστι δαμνῶδες (sic); cum altera parte cfr. Tim. s. v. ἄγνος[1]). Simili modo scholion 248 A ὑποβρύχιαι compositum est ex Hermia, qui scholiastae nihil praebuit nisi εἰς γένεσιν (p. 147 med.); cetera verba Diogeniano reddiderim, quem confer (apud Hesych.) cum in aliis, tum etiam in gl. 254 E ὕσπληξ (vide M. Schmidt: quaestion. Hesych. in Hesych. Edit. vol. IV². p. XCII).

Quod supra (p. 3/4) memoravimus Siebenkeesii scholiorum collectionem paullo diversam esse a ceteris in scholiis ad Phaedrum, id nunc paucis exponamus. Illius codices M. S. nonnulla scholia exhibent, quae in Ruhnkenii et Bekkeri libris desiderantur quidem, sed tamen eidem commentario debentur: velut schol. 227 A τὸν Ἀκουμ. (Herms. p. 67 extr.), 230 E πρῶτον (Herms. p. 76 med.; deest apud Bekk. et Ruhnk., extat in Veneto Schanzii, a recentiore manu additum est in Clark.); 231 E εἰ τοίνυν (Herms. p. 78); 243 A περὶ τῆς (Herms. p. 98 extr. et p. 99; cfr. Proclum ad Remp. p. 398 sq.); 244 B περὶ τοῦ Δωδωναίου (Herms. p. 108); 248 C ἡ Ἀδράστεια (Herms. p. 148 med.); 259 B φιλόμουσον

1) Codex quidem Venetus duo scholia, non unum, exhibet.

(Herms. p. 179 init.); 260 E *ἄνευ τοῦ ἀγαθοῦ* (Herms. p. 183); 261 C *ἀπεικάζει* (Siebenkeesii codices M. S. plura quam ceteri continent; ex Hermia p. 184 med.; brevius in Veneto); 266 E *λογο δαίδαλος* (Herms. p. 191 med.); 267 A *ἐπὶ τούτου, περὶ Γοργίου, οὗτος* (*Πρόδικος*), *ἐκεῖνος* (*Πῶλος*): haec omnia ex Hermia p. 191 a med. usque ad fin.); 267 C *ὡς Δημοσθένης* (Herms. 191 fin.); 267 C *ὁ Χαλκηδόνιος* (Herms. 191/2). Etiam fidelius Hermiae verba in Siebenkeesii codicib. M. S. traduntur: 267 C de Licymnio (Herms. p. 192 init.), et paullo ante: *γνωμολογία*, de qua Ruhnk. et Bekk. e libris suis pauca afferunt haec: *γν. δὲ ὡς τό· δεινὸν ἡ πονηρία.* Ex Hermia (p. 191 extr.) Siebenkeesii libri duo servant exempla Demosthenis. Alia praetereo. — Ne ea quidem, quae in Veneto codice M. S. solo leguntur, philosophorum more conscripta, aliunde sumpta sunt; pleraque ad dialogi argumenta spectant et ad epichiremata.

Postremo commemoranda est glossa 254 E: *ἐρείσας*] *ἑλκύσας*. Nam M. Schmidtius (quaest. Hesych. IV.[2] p. XCII) scholiastam vituperat tanquam erraverit maleque fontem suum, i. e. Diogenianum, intellexerit. Hesychius praebet: *ἐρυσάμενος· ἐκσπάσας, ἑλκύσας.* Erravit quidem scholiasta, sed ibi ab Hermia pendet, qui (p. 170 init.) docet: *ἀναπεσὼν δέ, τουτέστιν εἰς τοὐπίσω πεσὼν καὶ ἑλκύσας,* unde perspicuum fit non ad *ἐρείσας*, sed ad *ἀναπεσών* participium *ἑλκύσας* referendum fuisse.

8. DE SCHOLIIS AD LEGES.

In Legum scholiis commentarium cuiusdam philosophi adhibitum esse statim apparet. Quae quamvis exilia sint, ad nullum tamen librum glossae ex illo sumptae desunt, nisi ad 2., 3., 5., 6., qui scholiis omnino fere carent. Cuius vero auctoris scholia, quae ex officina ut ita dicam philosophorum prodierunt, esse censebimus? — Similem iam hypothesin scholiastam ad Timaeum a Proclo mutuatum esse vidimus supra

p. 9. not. 1. Atque sicut ad Leges τοιαύτη τίς ἐστιν ἡ ὑπόθεσις in fine primi scholii exhibentur, ita etiam in commentario ad Timaeum (p. 3 D. Edit. Schneid. = eadem pag. extr. Edit. Basil.) verba extant hypothesi ipsi praemissa: ἡ δὲ ὑπόθεσις τοιάδε τίς ἐστιν, quae scholiasta non recepit (cfr. etiam schol. ad Symp. 179 B (p. 256 H = 373 B). Deinde Proclus dicit se commentarios in Leges composuisse. Quorum mentionem facit in hypomnemate ad Remp. p. 431. lin. 17 a sup. (vide nos supra p. 23. not. 1) et ad Parmenid. vol. VI. p. 152. Edit. Cous.: ὅθεν εἴπομεν ἤδη, inquit, ὡς καὶ ὁ Ἀθηναῖος ξένος ἐν Νόμοις σφαίρας ἐντόρνου μιμήματι τὴν ἐνέργειαν ἀπείκασε τοῦ νοῦ· et ibid. p. 144 extr.: ἀλλὰ ταύτας[1]) διειλόμεθα μὲν καὶ ἐν Νόμοις κατὰ τὴν παντελῆ τῆς δεκάδος διαίρεσιν, ὀκτὼ μὲν τὰς παθητικὰς εἰπόντες, μίαν δὲ τὴν ἐνεργετικὴν μέν, ἀλλὰ ἄλλου του δεομένου τοῦ κινοῦντος καὶ ἄλλου τοῦ κινουμένου καὶ ἐξ ἀμφοτέρων μίαν ἀποτελουμένην· λοιπὴν δὲ τὴν ἐνεργητικήν τε καὶ ἀφ' ἑαυτῆς ἀρχομένην καὶ ἓν τὸ κινούμενον ἔχουσαν καὶ κινοῦν, οἵαν τὴν αὐτοκίνητον λέγειν εἴωθε (quibus cum verbis cfr. schol. ad 893 B (p. 385 H = 919 B), et Albin.[2]) Didascal. cap. XXV. p. 178. Edit. Herm.). Praeterea in commentario ad Remp. p. 394. lin. 23 ab infer. Edit. Basil.) λέγω δέ, inquit, οἷον τὴν τῶν κτημάτων διανομήν, ἣν ἐν Νόμοις παρειλήφαμεν τὴν κατὰ λόγους ἁρμονικοὺς τῶν ὅλων διαίρεσιν, τὴν τῶν ἀρχόντων ποικιλίαν, τὴν ἰδίαν τῶν παίδων ἐπιμέλειαν, τὴν διὰ τῆς μέθης παιδείαν, quae componas velim cum scholio primo (hypoth. s. fin.) et 915 B τρίτον τίμημα (p. 386 H = p. 457 B), 633 A et B οἱ συσσιτοῦντες (p. 377 H = 459 B) et q. subseq. schol. Nec minus favet opinioni nostrae de Procli commentario a scholiasta in usum vocato proverbii ὅλῳ καὶ παντὶ διαφέρειν explicatio, quae ad Leg. 944 C (p. 388 H =

---

[1]) scil. κινήσεις.

[2]) Albino restituit Freudenthalius Didascalicum, vide infra p. 32. not. 1.

458/9 B) et ad Alcibiad. pr. in Procli commentario (p. 217. Edit. Creuz.) similis occurrit, qua re eam apponam: *τῷ δὲ ὅλῳ καὶ παντὶ διαφέρειν τὸ δικαίως τοῦ ἀδίκως παντελῆ τὴν πρὸς ἄλληλα διάστασιν αὐτῶν ἐνδείκνυσι· πάντα γὰρ τὰ πράγματα τῷ ὅλῳ καὶ παντὶ διῄρηται, τῆς μὲν ἑνώσεως αὐτῶν κατὰ τὸ ὅλον ὑφισταμένης, τῆς δὲ διακρίσεως κατὰ τὸ πᾶν· διὸ καὶ τοῦ ποσοῦ τὸ μὲν συνεχὲς ὅλον ἐστί, τὸ δὲ διωρισμένον πάντως· ἐν ἅπασιν οὖν τοῖς οὖσι διαφορὰν ἐνδεικνύμενοι τῶν προκειμένων οὕτως εἰώθεσαν λέγειν, ὅτι ὅλῳ καὶ παντὶ διαφέρειν* [1]).

Ut autem, quam attuli, opinio, etsiamsi non plane evincatur, verosimillima tamen fiat, aliis quoque argumentis utar similibus. Ad Tim. Proclus p. 178 A (Edit. Schneid.) rursus adnotat differentiam quandam inter Platonis sententias de anima in Timaeo et in Legibus prolatas: *χρόνος οὖν ἅμα καὶ αἰὼν περὶ ψυχήν, ὡς ἀγένητον αἰών, ὡς γεννητὴν χρόνος· διὸ πῇ αἰώνιός ἐστιν ὡς ἀνώλεθρος, ἀλλ' οὐχ ἁπλῶς αἰώνιος, ὡς εἴρηται ἐν Νόμοις.*

Proclus, si quid de diebus festis et rebus publicis docet, formulam *ὡς ἡ ἱστορία λέγει* adhibere solet [2]). Eandem legimus in Theognidis vita schol. 630 A (p. 376 H = 448 B). Quam si Proclo restituimus, glossam quoque, quae de Tyrtaeo antecedit, ad eum referamus necesse est; id quod iam versu de Messene a Proclo et Olympiodoro aliis locis allato probatur. Accedit, quod ille in comment. ad Remp. de differentia, quam inter Tyrtaei et Theognidis artem poeticam Plato in Legibus

---

[1]) Similia vide etiam apd. Olymp. ad eundem dialog. p. 85 (Edit. Creuz.); cfr. schol. leg. 633 A *ἡ ἀρετή* (p. 377 H = 450 B).

[2]) Vide supra p. 9; multos locos affert Fabric. Bibl. Gr. vol. IX. p. 430 sq. Edit. IV. ex commentar. ad Tim. Remp. Theol. Plat.; addo etiam Procl. ad Parm. vol. IV. p. 67. Edit. Cousin., ubi de Platonis stirpe disputatur; cfr. ibid. IV. p. 86 init.; vide etiam indicem scriptor. ad Procli in Tim. comment. Edit. Schneid. p. 861 s. v. *ἱστορία*: ..

statuerit, non solum pluribus disputat, sed etiam philosophi verba affert. Nam p. 402. lin. 11 ab init. haec legimus: *τοιαύτην γάρ που καὶ τὴν Θεόγνιδος ποιητικὴν εἶναί φησιν ὁ Ἀθηναῖος ξένος, ἣν ἐγκωμιάζει τῆς Τυρταίου μειζόνως, διότι τῆς ὅλης ἀρετῆς ἐστιν ὁ Θέογνις διδάσκαλος καὶ τῆς εἰς ἅπασαν διατεινούσης τὴν πολιτικὴν ζωήν· ὁ μὲν γὰρ τὴν πιστότητα τὴν ἐκ τῶν ἀρετῶν ἅπασαν συμπεπληρωμένην ἀποδέχεται (καὶ τὴν ἀληθεστέραν κακίαν*, sic codex M. S. et Edit. Basil.; correxit Conrad. Gesnerus in exemplari suo, quod in biblioth. Reipubl. Turic. asservatur:) *ἣ τὴν κακίαν ἐκβάλλει τῶν πολιτειῶν τὴν στάσιν καὶ εἰς μίαν ὁμόνοιαν περιάγει τὰς τῶν πειθομένων ζωάς· ὁ δὲ αὐτὴν καθ' ἑαυτὴν τὴν ἀνδρίαν ἔξιν ἐγκωμιάζει καὶ εἰς ταύτην προτρέπει τῶν ἄλλων ἀμελήσας ἀρετῶν*. Item in scholio quoque priore Tyrtaeus non est nisi *πολέμου σύμβουλος*, Theognis autem omnis virtutis magister ac praeceptor: Proclus (ibid. lin. 20) eum vocat *πολιτικῆς ἐπιστήμης μετέχοντα καὶ τῆς ὅλης ἀρετῆς. ἣν δὴ πιστότητα κέκληκεν* (scil. *ὁ Ἀθην. ξένος* vel Plato ipse), *ἡγεμόνα καὶ σύμβουλον*.

Necnon disticha in schol. 865 A (p. 384 H = 455 B) de eo, qui invitus amicum necaverit, et de eo, qui pro amico mortem non subierit, Neoplatonicis posterioribus nota sunt; nam Olympiodorus ea habet in comment. ad Alcib. pr. (p. 115. Edit. Creuz.). — Ad Proclum etiam illud refero distichon de Jove ex Orphei oraculis citatum in scholio ad 715 E (p. 379 H = 415 B), in quo similis explicatio occurrit atque in illius ad Parm. commentario (vol. VI. p. 94. Edit. Cous.) *περὶ τοῦ Διός* (et *περὶ τοῦ ἑνός*), quem omnium rerum initium dicit et finem et medium. — In scholio 625 A *οἱ Στωϊκοὶ Πλατωνίζοντες* citantur de discrimine, quod inter *κλέος* et *δόξα* voces intercedat; illi igitur ibi in Procli fontibus habendi sunt, velut Olympiodorus quoque (in comment. ad Phileb. p. 264. Edit. Stallb. 1820) Platonem se sequi malle dicit in vocibus *ἐλπίς* et *δόξα*, *θάῤῥος* et *φόβος* distinguendis, quam Boethum,

Stoicum ut puto, qui *περὶ φύσεως*, *περὶ εἱμαρμένης*, fortasse etiam *περὶ ψυχῆς* scripsit [1]).

Non scholiastae, sed commentarii auctori notas quasdam reddiderim, quibus ad alias res in hoc expositas relegamur: in scholio 915 B (p. 386 H = 457 B) ad hypothesin extrem.[2]); deinde in hac ipsa legimus *τὴν δ' αἰτίαν τοῦ τοσούτου ἀριθμοῦ γνωσόμεθα*, quae verba spectant ad 745 C[3]), ubi nullum quidem ad Platonis verba explicanda scholion extat: sed iam p. 28. Proclum de divisione egisse demonstravimus. — De aliis, quae item huc referri possunt et ex scriptis Procli et aliorum, taceo. — Glossae vero, quibus fabulae Graecorum aut institutiones Atticae enarrantur quaeque permultae sunt, non Proclo debentur. De illis aliisque postea videbimus.

9. DE SCHOLIIS AD SOPHISTAM.

Praeter hypothesin satis amplam unum tantum scholion invenitur ad philosophos interpretes referendum.: 216 A *τὸ μέν* (p. 250 H = 371 B). Atque illa quidem quin e scholis Neoplatonicorum fluxerit, dubium esse nequit, quoniam Jamblichi mentio fit. Num vero eidem Proclo reddenda sint et hypothesis et scholion, non satis liquet; compertum quidem habemus ab illo hunc dialogum illustratum fuisse, cuius rei testis est ipse in comment. ad Parmenid. vol. V. p. 122 (Edit. Cous.): *ἐν Σοφιστῇ μὲν οὖν*, inquit, *ὅτι τὸ ἓν ἀσώματον ἐπέδειξεν ὁ λόγος κ. τ. λ.*; quo loco aptius alter citatur (ibid. p. 279): *ῥητέον δὲ καὶ πρὸς ταύτην τὴν ζήτησιν, ὅτι τ ὸ μ ὴ ὄν*,

---

[1]) cfr. Menag. ad Diog. Laërt. libr. VII. p. 199, notis p. 185 D. Edit. Londin.; Baer et Teuffel in Paully Real.-Encyklop.; Nicolai Gr. Lit.-Gesch. II. p. 240. Edit. alt.

[2]) Memorabile est *παρεθέμεθα* in scholio; cfr. schol. Tim. 24 E (extr.); de hoc vocabulo egit O. Schneiderus in Dissert. de fontib. scholior. Aristoph. 1838. p. 33.

[3]) Plato: *κλήρους δὲ διελεῖν τετταράκοντα καὶ πεντακισχιλίους*, quare scholion corrigendum est, in quo *τεσσαράκοντα καὶ πέντε*.

ὡς ἐν Σοφιστῇ μεμαθήκαμεν, λέγεται καὶ τὸ μηδαμῶς ὂν καὶ ἡ στέρησις. Saepius deinde τὸν πολυκέφαλον σοφιστήν commemorat; ac multis locis de eo et περὶ τοῦ ὄντος et μὴ ὄντος similia atque hypotheseos auctor dicit; e Proclo aliisque Neoplatonicis hos affero locos: Procl. comment. ad Parm. vol. IV. p. 128; p. 104; p. 121; p. 149; p. 188; p. 198; p. 210; vol. V. p. 43 init. et p. 161 init.; p. 279 et 280; vol. VI. p. 57; idem ad Remp. p. 402 lin. 14 ab inf. et 6 ab inf.: ὁ Ἐλεάτης ξένος· deinde in comment. ad Cratyl. cap. ϙνβʹ Proclus a Socrate τὸν Ἅιδην vocari Σοφιστήν tradit (cfr. init. hypoth.); in eodem comment. cap. ιδʹ; vide etiam Prolegom. ad Plat. philosoph. cap. XXI (p. 215. Edit. Herm.) et XXIII (p. 217 Herm.), ubi de consilio dialogi exponitur; Albinus [1]) quoque cap. XXXV (p. 189 Herm.) Sophistam describit; alia sciens praetereo.

In scholio 216 A (τὸ μὲν Ὁμηρικόν) Homeri versus affertur ac Socrates sententiam suam in libris de Republica prolatam ibi quoque retinere dicitur. Apte igitur ad haec afferri potest locus Procli, qui in comment. ad Remp. (p. 379 lin. 17 ab inf.) cum alios versus multos ad deorum apparitionem pertinentes tum eundem citat ac scholiasta et (p. 380 lin. 9 a sup.) docet neque ἀλλοίωσιν, nec ποικιλίαν, nec μεταβολήν, sed διαφόρους μεθέξεις a poetis deo tributas esse; τὸ γὰρ ἁπλοῦν, inquit, τῶν θεῶν ποικίλον φαντάζεται τοῖς ὁρῶσιν οὔτε μεταβαλλόντων ἐκείνων οὔτε ἐξαπατᾶν προθεμένων . . .

10. DE SCHOLIIS AD REMPUBLICAM.

Haec sunt mirum in modum et magis quam ad ullum alium dialogum e diversis fontibus congesta et corrasa. Glossae

---

[1]) in Didascalico τῶν Πλάτωνος δογμάτων, quem librum Freudenthalius (Hellenist. Stud., Heft. 3. p. 275 sq. et p. 300 sq.) probabiliter demonstrat Albini esse, non Alcinoi, quippe cuius nomen in libri inscriptione non probum extet et ex illius depravatum sit.

quibus Platonis philosophia explicetur ad 1., 2., 4., 5., 7., 10. libros fere nullae reperiuntur; ad ceteros autem satis multae extant. At ne hae quidem unius auctoris sunt neque ex eisdem continuis commentariis omnes fluxerunt.

Primum Procli vestigia persequamur. Qui non totum dialogum aeque ac Gorgiam, Alcibiadem, alios interpretatus et similiter amplexus est perpetuo commentario, sed non nisi de quibusdam sententiis in illo expositis universe et copiose disseruit: quae disputationes maximam partem servatae typis exscriptae sunt Basileae 1534: *Πρόκλου Λυκίου Πλατωνικοῦ Διαδόχου περὶ τοῦ τίνα χρὴ καὶ πόσα πρὸ τῆς συναναγνώσεως τῆς Πολιτείας Πλάτωνος κεφάλαια διαρθρῶσαι τοὺς ἐξηγουμένους αὐτήν.* Quae ibi desunt, partim Maius supplevit, qui in Spicilegio Romano (vol. VIII. p. 664), alias quaestiones publici iuris fecit. Indicem omnium capitum, quae Procli liber continuit, Roseus dedit (Herm. vol. II. p. 98. seq. [1]).

Diadochi nomen extat in gl. 398 A (p. 338 H = 401 B) *μύρον κατὰ τῆς κεφαλῆς* et in subsequenti; deinde in gl. 400 B *ὁ ἐνόπλιος*, ubi additum est *ὡς ἐν τῷ εἰς ταῦτα ὑπομνήματι Πρόκλος φησίν.* Prior glossa (*μύρον*) sumpta est e comment. p. 360. lin. 10 a sup.; 399 A (*ὁ Πρόκλος*) ex p. 365 lin. 10 et 6 ab infer.; 400 B (*ὁ ἐνόπλιος*) ex eadem p. lin. 24 et 4 ab inf. — Alias autem celato nomine scholiasta ab eodem mutuatus est, velut gl. 621 B (*ὁ μῦθος ἐσώθη*) p. 362 H = 422 B, quam ad verbum descriptam vide in Spicil. Rom. vol. VIII. cap. 57 [2]).

Praeter has glossas, quae in Ruhnkenii et Bekkeri editionibus leguntur, in Veneto cod. M. S. solo extant nonnullae,

[1]) De libro ipso vide praeter Roseum Fabric. Bibl. Gr. libr. V. cap. 21 = vol. IX. p. 421 sq. Edit. IV. cfr. etiam Freudenthal l. c. p. 321.

[2]) Hoc totum caput inscriptum est: *πῶς ἡ τ. παίδων βρῶσις γίνεται ἐκ τοῦ παντὸς καὶ πῶς τοῦτο φιλεῖται ψυχῇ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ κατιούσῃ*, et partem efficit (sec. Roseum) disputationis vel libri duodecimi, qui est *εἰς τὸν ἐν Πολιτείᾳ μῦθον.*

ab illis omissae: ad 379 A: *α' τύπος θεολογικός· ὅτι πάντων τῶν ἀγαθῶν ὁ θεὸς αἴτιος, τῶν κακῶν δ' οὐδενός — ὅτι οὐκ ἔστιν αἴτιος τῶν κακῶν ὁ θεός — ὅτι οὐ πάντων αἴτιος — οὐδὲ γὰρ καὶ τῶν κακῶν — ὅτι τῶν κακῶν ἄλλα αἴτια, οὐχ ὁ θεός*· ad 380 D: *β' τύπος θεολογικός, ὅτι ὁ θεὸς ἀμετάβλητος*·
et » 382 A: *γ'* » » » » » *ἀληθής*· quae omnia Proclus singulari capite amplexus est inscripto *Περὶ τῶν ἐν τῷ δευτέρῳ τῆς Πολιτείας εἰρημένων θεολογικῶν τύπων*, unde sine dubio scholia ista manaverunt; cfr. Procl. p. 355. inde ab initio huius capitis (quod est tertium sec. Roseum) p. 356 lin. 2 et 3 a sup.; p. 356 lin. 12 a sup.: *τούτου δ' οὖν ληφθέντος ἑνὸς ἀξιώματος, δύο σχίζοντες συλλογισμοὶ δι' ὧν δείκνυται πᾶς θεὸς ἀγαθῶν μὲν αἴτιος, κακοῦ δὲ οὐδενός*, cfr. ibid. lin. 5 ab inf.; p. 358. lin. 19 ab inf. *ἀπορεῖται, πόθεν τὰ κακά*, et ibid. lin. 8 usque ad fin. eiusd. pag. et init. p. 359; de secundo et tertio typis Proclus disserit p. 357 post med. et seq., ubi iste quidem typum secundum in duas partes dividit, quae cum scholiastae secundo et tertio conspirant (vide p. 357. lin. 21. ab inf. et seq.).

Procli ea quoque esse puto, quae in scholio ad 509 B (p. 349 H = 411 B) post *ἄλλως* afferuntur; cfr. illum p. 384. lin. 17 (*ὡς τὰς ἐγκοσμίους* . . .), item lin. 11, lin. 12, lin. 21 ab inf., ubi extat Homeri versus *Ἄσβεστος δ' ἄρ' ἐνῶρτο γέλως*.., et p. 424. lin. 15. ab inf. — Necnon ea pars Procli operis quae perdita est in usum videtur vocata esse. In Veneto enim codice M. S. scholia extant, quibus argumenta ad Platonis de iustitia disputationem pertinentia comprehenduntur, velut ad 358 E, 359 B et E; quae vero ex Procli libro huc referas, ea nunc quidem in Edit. Basil. et apud Maium desunt, sed tamen ibi extitisse concludo ex indice Rosei, qui refert in cap. II. disputatum fuisse *Περὶ τῶν πρὸς τὸν ὅρον τῆς δικαιοσύνης . . . . συλλογισμῶν*, quae olim exposita erant post vocabulum *ἀλλήλοις* p. 353 med. (comment. Procli), ubi vacuum nunc parvum spatium invenitur. — Denique glossam de Ere, fabulae patre

(schol. 614 B p. 422 Bkk.), quin scholiasta e Proclo sumpserit, vix dubium est; hic nempe in libro duodecimo (*εἰς τὸν ἐν Πολιτείᾳ μῦθον*) explanaverat: *τίς ἡ πρόθεσις τοῦ μύθου παντός* (cfr. Mai Spicil. Rom. cap. 60: *ἐνταῦθα περιγράψομεν τὸν περὶ τοῦ μύθου σύμπαντα λόγον*, at enarratio desideratur). Permulti quidem alii scriptores item mentionem Eris fecerunt (vide Stallb. ad locum); et Proclus eum ter, quod sciam, in Spicilegio appellat.

E ceteris autem glossis nulla eisdem Procli disputationibus debetur. Commentario vero eius in Timaeum scholiasta usus est in gl. secunda primi libri (327 A *ἑορτήν*), quae e diversis locis librisque consuta est. Inspexit enim primum comment. ad Tim. p. 9 B, ubi de tempore disseritur, quo Respublica et Timaeus dialogi habiti sint: *δῆλον*, inquit, *ὅτι τὰ μικρὰ ἦν ταῦτα Παναθήναια· τὰ γὰρ μεγάλα τοῦ Ἑκατομβαιῶνος ἐγίνετο τρίτῃ ἀπιόντος, ὡς καὶ τοῦτο τοῖς ἔμπροσθεν* (scil. *τοῖς περὶ τῶν ἑορτῶν γράψασιν*) *ἱστόρηται*, deinde comment. ad Remp. p. 353. lin. 4 a sup., ubi iterum de temporibus et locis disseritur: *διεῖλε τὰς ξυνουσίας τὴν μὲν ἐν Πειραιεῖ τοῖς Βενδιδείοις ἀποδούς, τὴν δὲ ἐν ἄστει τοῖς Παναθηναίοις, ἢ οὐκ ἴσμεν ὡς τὰ μὲν Βενδίδεια τὴν Ἄρτεμιν θεραπεύειν κατὰ τῶν Θρᾳκῶν νόμον ἐθέλει* (cfr. ad Tim. p. 26 E) *καὶ τὸ ὄνομα τοῦτο Θρᾴκιον ἡ Βένδις· οὕτω καὶ τοῦ Θρᾳκὸς θεολόγου* (scil. *Ὀρφέως*) *μετὰ τῶν πολλῶν τῆς Σελήνης ὀνομάτων καὶ τὴν Βένδιν εἰς τὴν θεὸν ἀναπέμψαντος*· postea vero commentar. ad Tim. iterum adhibuit (p. 26 F:) *ἄλλος οὖν οὗτος πέπλος* ... et (paullo post p. 27 A commemoratis Bendideis in Piraeo celebratis): *ὅτι γε μὴν τὰ Παναθήναια τοῖς Βενδιδείοις εἵπετο, λέγουσιν οἱ ὑπομνηματισταὶ καὶ Ἀριστοτέλης ὁ Ῥόδιος*[1]) *μαρτυρεῖ τὰ μὲν ἐν Πειραιεῖ*

---

[1]) Aristoclem, non Aristotelem, Rhodium ibi intellegit Usnerus Mus. Rhen. vol. 25. p. 614, eumque dicit inter commentatores Timaei Platonici referendum esse. — De Panathenaeis confer August. Momms. Heortolg. p. 129 seq. ubi recte contendit scholiastam a Proclo pendere (p. 130/1).

Βενδίδεια τῇ εἰκάδι τοῦ Θαργηλιῶνος ἐπιτελεῖσθαι, ἕπεσθαι δὲ τὰς περὶ τὴν Ἀθηνᾶν ἑορτάς · quibus scholiasta ea addidit, quae ex comment. ad Remp. p. 353 supra attulimus; et recepit postrema scholii verba *ταῦτα δὲ ἐπετελεῖτο* . . ex comment. ad Tim. p. 9 B (non ex p. 27 A, ubi Bendidea *τῇ εἰκάδι τοῦ Θαργηλ. ἐπιτελεῖσθαι* dicuntur): *ὅτι γὰρ τὰ ἐν Πειραιεῖ Βενδίδεια τῇ ἐννάτῃ ἐπὶ δεκάτῃ Θαργηλιῶνος, ὁμολογοῦσιν οἱ περὶ τῶν ἑορτῶν γράψαντες.*

Una restat glossa, quam utrum eidem Proclo Diadocho an cognomini cuidam grammatico tribuamus, incertum est. Dubium enim esse nequit, quin scholion 394 (p. 337 H = 400 B) *διθύραμβος* aut e Photii excerptis chrestomathiae Procli, aut ex hac ipsa sumptum sit; accuratissime enim cum illis convenit; attamen paullo plura scholion continet, quam quae in excerptis servata sunt: *κέκληται δὲ ἀπὸ τῶν συμβάντων περὶ αὐτόν* (scil. *Διόνυσ.* vide chrestom. p. 419/20. Edit. Gaisford.). Deinde de praemiis, quae poetis dithyrambicis proponebantur, scholiasta refert solus. Cum vero in glossa, quae antecedit, similia exponantur, a Photio omissa, haud scio an tragoediae quoque et comoediae definitiones eiusdem auctoris esse dicam. Qua re multo magis de chrestomathia ipsa, quam de Photii excerptis tanquam scholiorum fonte cogitaverim. De auctore quidem chrestomathiae adhuc, ut ita dicam, sub iudice lis est. Nam quanquam Welckerus (der ep. Cyclus p. 7) plurimis viris doctissimis persuasit non Diadochum, sed Eutychium intellegendum esse, nihilosetius M. Schmidtius (frgm. Didymi Chalcent. p. 391) contra illum eosque quorum assensum tulerat extitit contendens ad Neoplatonicum eam referendam esse, cui sententiae non solum haec glossa et quae antecedit, sed etiam duae illae quas supra in scholiis ad Leges de Tyrtaeo et Theognide adduximus admodum favent.

Glossae quae restant e commentario continuo alius cuiusdam philosophi Neoplatonici totum dialogum interpretati haustae sunt, cuius cum scholiis glossas Procli scholiasta sic coniunxit,

ut illa priore loco, has autem secundo poneret et adderet: duae explicationes extant ad 398 A παροιμία (p. 338 H = 401 B); 509 B τὸ γελοίως (p. 349 H = 411 B). Cum vero in schol. 498 B διὰ τῆς εἰωθυίας (p. 348 H = 409 B) Plotinum et in schol. 509 D σχόλιον (p. 350 H = 411 B) post Archytam et Brontinum Jamblichum commemoratos inveniamus, interpres hic nobis ignotus non ante initium tertii post Chr. n. saeculi vixisse putandus est; accedit, quod in schol. 473 C (p. 344 H = 406 B) M. Antonini Philosophi mentio fit. Praeterea haud raro simillima leguntur in scriptis Neoplatonicorum atque in scholiis quibusdam; velim conferas: schol. 353 A σμίλη (p. 334 H = 398 B) et Olymp. in comment. ad Alcib. pr. p. 206. Edit. Creuz. et ibid. p. 210; schol. ὅλῳ καὶ παντὶ διαφέρειν et Olymp. ibid. p. 85 et Procl. in comment. ad eund. dialog. p. 217[1]); proverbium σὺ καὶ ἐμοὶ ἐρεῖς ad 573 C (p. 357 H = 417 B) et schol. ad Alcib. pr. 112 E (p. 278 H = 385 B) ex Olymp. comment. p. 101 receptum (cfr. Procl. comment. cap. 19. p. 287. Edit. Creuz.); schol. 498 E ἄγραφον γραμματεῖον (p. 348 H = 410 B) et Proleg. τῆς Πλάτ. φιλοσοφ. cap. X (p. 205. Edit. Herm.). Quin etiam cum Hermia (comment. ad Phaedr. p. 200) schol. ὡς ἐπὶ τὸ πλῆθος 364 A (p. 335 H = 398 B) accurate conspirat.

Multis locis etiam orationis sensus explanatur adhibitis formulis velut ὁ δὲ νοῦς οὗτος, τὰ δὲ ἑξῆς οὕτως, quas scholiasta e commentario, quem adhibuit, sine dubio descripsit: schol. 388 D σχολῇ (p. 337 H = 400 B); 391 D ἐάν (ibid.); 440 B (p. 341 H = 403 B: ὁ δὲ νοῦς οὗτος); 467 D ὁ νοῦς οὗτος (p. 343 H = 405 B); 473 A ὁ νοῦς οὕτως (p. 344 H = 406 B); 487 B ὁ νοῦς οὗτος (p. 345 H = 407 B); 499 E ὅτι εὐμετάβολ. (Homerus respicitur: p. 348 H = 410 B); alia. — Saepius quam alibi scholiasta poetarum versiculis gaudet:

[1]) Vide supra p. 28/29.

361 B *Αἰσχύλου ἐξ Ἀμφιαράου*[1]) (p. 335 H = 398 B); 362 D *ἀδελφός* (p. 335 H = 398 B); 467 C *ὁ νοῦς* (p. 342 H = 405 B); 468 C *ἀγαθοί* (p. 344 H = 406 B); 473 D *κακῶν παῦλα*] *τῶν* (p. 345 H = 406 B)[2]). — Memorabilia sunt nonnulla scholia, quibus praecepta et instituta philosophiae comprehenduntur, ut schol. 499 A *δεῖ* (p. 348 H = p. 410 B), 521 A *εἰ μέν* (p. 352 H = 413 B), cuius scholii argumentum christianum potius interpretem quam Neoplatonicum prodere videtur; alia.

Platonis de Republica libros adeo multi explicuerunt, ut diiudicatu difficillimum sit, cuius commentarium praeter Procli scholiasta expilaverit. De antiquioribus certe interpretibus cogitari nequit, velut de Xenocrate[3]), discipulo et post Speusippum successore Platonis (ut ait Suidas); de Potamone[4]), aequali Augusti imperatoris; de Onosandro[5]), qui vixit Tiberio regnante. — Plotinus deinde et Jamblichus disertis verbis nusquam dicuntur Rempublicam illustravisse (vide Fabric. Bibl. Gr. vol. III. p. 92. Edit. IV. et quem citat Bodinum). Nam nemo sibi persuadet scholiastam Archytae et Brontini libris usum esse ipsum, collato cum scholio ad 509 C (p. 350 H = 411 B) libello qui superest Jamblichi inscripto *Περὶ τῆς κοινῆς*

---

[1]) Scholiasta errat: vide Aesch. Sept. adv. Theb. v. 592.

[2]) Scholiasta errat: vide Sophoc. Philoct. v. 386.

[3]) Diog. Laërt. IV, 2, 12 (9); imprimis Suid. s. v.

[4]) Vide Suid. s. v.; Brucker histor. crit. philos. vol. II. p. 193 sq.; Philol. vol. IX. p. 403 (1854); aliter Zeller Gesch. d. Phil. d. Gr. (Edit. II) vol. III. prt. I. p. 743.

[5]) Vide Zurlaubeni praefat. ad Onos. *Στρατηγικόν* in Edit. Schwebelii 1762. Norimb., et Schweb. in sua praefat. — Albinum Platonicum cuius disciplina Galenus anno 151 et seq. usus est Zellerus Gesch. d. Philos. d. Gr. Edit. II. vol. III. part. I. p. 720. adnot. 2. commentarium in Platon. Remp. scripsisse suspicatur; cui opinioni adversatur Freudenthal. Plat. Stud. prt. III. p. 244. — De his commentatoribus vide etiam Fabric. Bibl. Gr. vol. III p. 91 (IV. Edit.); Nicolai Gr. Lit.-G. I. p. 505 (alt. Edit.); cfr. Zeitschrift f. Alt. 1842. p. 598 seq.; Philolog. vol. IX. p. 403.

μαθηματικῆς ἐπιστήμης, λόγος τρίτος (quod opusculum, a Villoisono Anecdoton vol. II. p. 188 seq. editum, partem effecit disputationis Jamblicheae *Περὶ τῆς Πυθαγορείου αἱρέσεως* quatuor libros continentis).

Cum ipsius Archytae fragmentis scholiasta bene convenit, velut in disputatione de rerum omnium quatuor generibus *νοητά, διανοητά, αἰσθητά, εἰκαστά*, et de quatuor illa cognoscendi rationibus *νοῦς, ἐπιστήμη, αἴσθησις, δόξα* (vide schol. verba extrema et Archytae fragm. *ἐκ τοῦ περὶ νοῦ καὶ αἰσθήσεως* in fragm. philosoph. edid. Mullach. vol. I. p. 566 column. prim. extr.); item etiam in lineae in pares partes divisione (v. schol. init. et Arch. frgm. l. c. p. 566 column. alt.). Attamen Neoplatonicum scholiastae unicum auctorem fuisse pignore contenderim, quoniam ille Archytam et Brontinum testes producit: huius enim mentionem facit p. 198 lin. 16 ab infer., illius paullo post (p. 199 lin. 6a sup. Villois. Anecd. Gr. vol. II), allatis insuper opusculis ac verbis ipsis auctorum. Multa eodem modo atque in scholio exponuntur: velut lineae *εἰς ἴσα* divisio, in cuius explicatione Jamblichus p. 200 init. Archytam secutus cum scholiasta consentit. Ordinem autem disputationis Jamblicheae scholiasta non retinuit, sed modo hunc, modo illum locum inspexit et transcripsit: particulam sicut vidimus e pag. 200 recepit, deinde e p. 197 lin. 9 ab infer. ea, quae Jamblichus de *τῶν νοητῶν πάντων* partitione affert, assuit (v. schol. p. 350 H med.); disserit postea de ratione, quae inter *τὰ διανοητά* et *τὰ νοητά* (schol. *ἀνάλογον*) intercedat, aeque ac Jamblichus (p. 198 lin. 12 a sup.), admixtis aliis, quae ex aliis locis eiusdem opusculi inserere potuit; eadem ille p. 200 lin. 19 a sup. et scholiasta inde a verbis *ταῖς τε γὰρ εἰκόσιν* praebent; Archytae doctrina, quae in fine scholii exhibetur, apud Jamblichum p. 199 init. comparet. Hunc igitur vix dubium esse potest quin scholiasta expilaverit, quamvis concedendum sit fieri non posse, ut unius cuiusque scholii voculae sedem apud Jamblichum investigemus. Praeterea non magni momenti esse

censeo, quod scholiasta Jamblichum secutus eiusque auctorem Archytam primum de lineae *εἰς ἴσα* divisione loquitur, deinde alteram ab horum utroque alienam *εἰς ἄνισα* secundum libror. M. S. quorundam lectionem[1]) commemorat: nam vocula qua utitur *ἴσως* (*εἰ δὲ εἰς ἄνισα . . ἴσως*) dubitantis est et arguit scholiastam neque Proclum neque alios cognovisse alteram, vel utramque divisionem amplexos[2]). — Itaque ex hoc scholio colligere non licet Jamblichum Platonis de Republica libros interpretatum esse et scholiastae non solum hanc sed etiam ceteras philosophici argumenti glossas suppeditavisse. Restat igitur non nisi Plotini memoria in scholiis, ad quem non audeo glossas referre, quae, exceptis Proclianis, philosophis debentur interpretibus, neque ullum alium Plotino posteriorem cognovi, cui verosimiliter coniciam eas vindicandas esse. Rem in medio relinquam. — De fontibus quorundam scholiorum, velut 338 C (utrumque), 453 D (de Arione), 465 D (*Ὀλυμπιονῖκαι*), 488 A (*μανδραγόρας*), aliis postea agemus.

Ad reliquos dialogos glossae, quae extant, e commentariis Neoplatonicorum haustae non sunt; qui si quos alios libris suis illustraverunt, hi a scholiastis prorsus neglecti sunt, velut Procli ad Cratylum, Olympiodori ad Philebum, Porphyrii ad Convivium[3]), aliorum. In Euthyphronis quidem scholiis et aliis quaedam leguntur, quae quanquam neque e rhetoricis nec Platonicis

---

[1]) Stallbaumius ad hunc locum improbat.: *ἄνισα.*

[2]) Procl. ad Remp. p. 431 lin. 10 a sup.: *μίαν . . γραμμὴν . . λαμβάνει, τέμνει δὲ δίχα ταύτην, οὐκ εἰς ἴσα μέρη τέμνων, ἀλλ' εἰς ἄνισα . . .* paullo post affert causam: *ἡ δ' οὖν εἰς ἄνισα τομὴ τῶν πάντων αὐτῶν τὴν ἀξίαν ἐνδείκνυται τῶν τετμημένων, τὴν κατὰ τὸ συνεχὲς ἀνισότητα τῆς κατὰ τὴν ὕπαρξιν ἀνισότητος εἰκόνα τιθεμένων.*

[3]) *Πορφύριος ἐν τῷ Περὶ Ἔρωτος τοῦ ἐν Συμποσίῳ* Etym. Mgn. (Miller. Mélang. de Litt. Gr. Paris. 1868. p. 315. s. v. *Ὠκεανός.*

lexicis sumpta sunt tamen nulla commentariorum vestigia continent; velut τὸ σκαληνόν schol. Euthphr. 12 D (p. 225 H = 328 B) in codice Clarkiano (cfr. Procli in Euclid. Elem. libr. ex recens. Godofr. Friedl. (1873) p. 165 lin. 5 [1]). — Sensum orationis tribus locis ad Apolog. scholiasta explanat 17 D παραγραφικοῦ (p. 226 H = 330 B) et τὸ τοῦ ἤθους (ibid.), 28 C ἀντὶ τοῦ (p. 229 H = 332 B); nihilo setius nobis persuademus ibi commentarios in usum vocatos non esse (vide infra in capit. X. § 3). Ad Platonis interpretes cum alia tum haec referri nequeunt: schol. Symp. 179 B (p. 256 H = 378 B) ἡ περί, 185 C τὸ τοῦ λυγμοῦ, 208 D Κόδρος. illud enim ex Euripidis codice aliquo (vide infra p. 53) translatum est, secundum ex Galeni Περὶ συνθέσεως φαρμάκων et π. εὐπορίστων [2]), tertium, cuius verba ὥς φησιν Ἑλλάνικος in Darmstadino cod. M. S. non praemissa, sed apposita sunt [3]), haud scio an ex Hellanici ipsius libris [4]) receptum sit. — Praeterea ad Sympos. et imprimis ad Menex. codices M. S., prae ceteris Venetus, orationis argumenta exhibent, quae tamen potius lectoribus studiosis quam interpretibus reddenda esse probabile est. — In scholiis ad Charmidem duae expositiones amplae inveniuntur ad 165 E λογιστική et γεωμετρία (p. 290 H = 324/5 B); eas autem ex opere aliquo mathematico haustas esse conspicuum est.

Certius vero nonnulla ad Epist. scholia Neoplatonicis attribuere licet; nam ad VII. 345 A (p. 391 H = 463 B)

---

[1]) Scholion, quod ap. Herm. antecedit de eadem voce, cum Hesychio convenit et Etym. Mgn. 715, 52.

[2]) Vide Medicin. Graec. op. edid. Kühn. vol. 13 p. 154 et vol. 14 p. 565.

[3]) V. Creuz. add. ad Porphyr. de pulchritud. p. 530 sq. (. . . οὕτως Ἑλλάνικος).

[4]) Ex Hellanici Phoronidis capite «Βοιωτιακά» inscripto, v. frgm. histor. Gr. edid. Muell. vol. I. p. 47. 10 et ibid. proleg. p. XXVI.

ἴστω Ζεύς formula item atque ad Phaedon. 62 A (p. 230 H = 379 B) explicatur ex Olympiodoro. Epistulas quidem cum alii tum Proclus[1]) Platoni abiudicaverunt; unde tamen colligi nequit eas ab his ipsis illustratas non esse.

---

[1]) Vide Proleg. ad Plat. philosoph. cap. XXVI. p. 219. Edit. Herm.. Diadochus, quanquam libros de Republ. et de Leg. subditicios esse censuit, tamen commentariis eos explanavit.

B.

Caput II. DE GLOSSARUM GEOGRAPHICARUM FONTIBUS.

Inter scholiorum fontes Timaei et Boethi lexica Platonica numeranda esse postea videbimus. Hos quoque Platonis interpretes res geographicas attigisse planum fit inspecto Timaei libello, velut s. v. *Ὠρωπός*, *Χαλαστραῖον νίτρον*, *Φαληρικόν*, *Τέμπη*, *Πνύξ*, *Λυκαβηττός* etc., et apparet etiam e lexico Photii (in quod Boethi glossae transierunt), cfr. s. v. *Καλλιῤῥόην* et *Σκειρωνικῇ ὁδῷ*[1]). At praeter has duas nullam apud Photium invenio aliam, quae certo Boethi esse dicatur; quin etiam demonstrari potest aliis fontibus scholiastas usos esse; breviter nunc eos recensebimus. — Usurpatos invenimus libros Diogeniani, Strabonis, Stephani Byzantii, Ptolemaei Alexandrini; verumtamen fieri nequit, ut scholia quorundam dialogorum geographica omnia uni eidemque auctori vindicemus.

Hesychius imprimis cum scholiis convenit; cum scholio ad Sympos. 173 B conferatur haec glossa illius: *Κυδαθηναῖος· δῆμος τῆς α' φυλῆς Πανδιονίδος ἐν ἄστει* et, quae subsequitur: *Κυδαθόν· ὁμοίως*, unde perspicitur harum glossarum utramque etiam in scholiastae fonte fuisse[2]); aliquid simile in glossa sequenti

---

1) Vide ante *στῖφος·* explicatio deest; inspice notam Naberi.

2) Item scholiasta ad 172 A (p. 255 H = 373 B) *Φάληρον δῆμος Αἰαντίδος* dicit aeque atque Hesychius: *Φαλαρεῖς, δῆμος τῆς Αἰαντίδος φυλῆς* (Maur. Schmidt hanc glossam subditiciam esse censet); cum utroque consentit inscriptio (p. 20 ap. Ross: die Demen v. Attica [edid. M. H. E. Meier] cfr. ibid. p. 136) anni 325 a. Chr.; Harpocratio autem (quem secuti sunt Phot. Suid. Et. M.) illum pagum *Ἀντιοχίδος* fuisse tradit.

observabimus; pag. enim 176 D verba Platonis sunt: *Φαῖδρον τὸν Μυῤῥινούσιον*· cuius igitur tribus esset Phaedrus, scholiasta auctorem suum consuluit et apud eum commemoratos invenit aut duos pagos *Μυῤῥινοῦς* (unde *Μυῤῥινούσιοι*, qui semper Pandionidi attributi erant) et *Μυῤῥινοῦττα* (unde *οἱ ἐκ Μυῤῥινούττης*, quos, cum duodecim tribus erant, *Αἰγηΐς* complectebatur), aut *Μυῤῥινοῦττα* pagum solum repperit; duas igitur glossas illas permiscuit, aut *Μυῤῥινούσιος* perperam cum *Μυῤῥινοῦττα* voce composuit, quippe quae sola in Hesychii fonte Diogeniano (Hesychius ipse utramque omittit) extaret; ad hunc autem scholion referendum esse concludo ex Photii glossa, in qua, quantumvis dilacerata, scholii error non invenitur[1], i. e. Boethum scholiasta ibi non usurpavit. Nam Photius, si quisquam, eius glossas nobis servavit; quanquam non certum est illum ibi a Stoico pendere. — Si quidem glossas scholiasta similes exhibet atque Hesychius (et Photius, alii), aliquis dubius esse possit, utrum Hesychium ipsum an Diogenianum scholiastae auctorem fuisse statuat. Nam ille lexicographus neque ipse integer extat, neque Diogenianum integrum recepit et qualis hic erat tradidit, immo eius glossulas haud raro additamentis auxit. Attamen hoc eodem scholiastam saepissime etiam in aliis glossis usum esse infra (in cap. VI) accuratius demonstrabimus; deinde hunc potius a Diogeniano quam ab Hesychio pendere verosimile saltem fit etiam e scholio ad Phaedr. 230 B (p. 264 H = 312 B): *Ἀχελῷος*[2]) *ποταμὸς Αἰτωλίας*, Hesychius enim cum hunc fluvium *ποταμὸν Ἀκαρνανίας* esse dicit additque *καὶ πᾶν ὕδωρ οὕτως λέγεται* (cod. Marc.:

---

[1]) *Μυραινα* (sic cod. Gal.; *Μυῤῥινοῦς* Naberus auctore Dobr.) *δῆμος Πανδίονος* (sic cod., emend. Dobr. *Πανδιονίδος*).

[2]) cfr. Eustath. 500, 42, sec. Didym.; similia ibidem 1231, 13 sq.; 353, 14; Steph. Byz., al.; Naber. proleg. ad Phot. lexic. p. 11; Didymus egit de hoc flumine *ἐν λέξει τραγικῇ* (vide Maur. Schmidt. Didymi frgm. p. 85).

'Αρκαδίας), ab illo prorsus discrepat. Utrumque vero ex eodem hausisse concedimus collato Et. M. s. v. (181, 10): *'Αχελῷος, ποταμὸς μεταξὺ Αἰτωλίας καὶ 'Ακαρνανίας· κοινῶς δὲ πᾶν ὕδωρ 'Αχ. καλεῖται κ. τ. λ.* — Ad Symp. 219 E *Ποτίδαια* (p. 261 H) scholiasta plura Hesychio habet, qui nihil tradit nisi *ὄνομα πόλεως*, quae Diogeniani verba aspernatus ille ad alium scriptorem confugit; utrum vero Strabonem an Stephanum Byzantium inspexerit, non satis effici potest. Uterque enim simillima, quamvis non eadem atque scholiasta, exhibet; illius autem ex opere de *Ποτιδαίᾳ* fragmenta tantum extant et Byzantii qui ibi Strabonem secutus est ipse libri in epitomen redacti sunt[1]; apud hunc nempe haec leguntur: (*ἐκ τοῦ* Z. 25 frg. = C 330) *κεῖται δ' ἐπ' αὐτῷ* (scil. *'Ισθμῷ*) *πόλις, ἡ πρότερον μὲν Ποτίδαια, Κορινθίων κτίσμα* (cfr. etiam frg. 27 = C 330: *ὅτι ἡ Παλλήνη Χεῤῥόνησος ἧς ἐν τῷ 'Ισθμῷ ἡ πρὶν μὲν Ποτίδαια, νῦν δὲ Κασσάνδρεια*)· apud Stephanum occurrunt s. v. *Ποτίδαια, πόλις Θρᾴκης, ἡ δ' αὐτὴ ἐκλήθη καὶ Κασσάνδρεια.* — Similiter iudicandum est de scholio quod paullo post sequitur *Δήλιον* (Herm. p. 261 = 378 B), quod repetitum est ad Lach. p. 181 B in codice Veneto; cfr. Strab. IX. 2. 7; Steph. s. v.; necnon Hes. s. v. *ἐπὶ Δηλίῳ μάχη.*

Multa scholia geographica ad Menexenum exhibentur; sed ne haec quidem fieri potest ut eidem fonti reddamus. Stephanus omnia fere suppeditavit, velut *Σάρδεις* et *'Ερέτρια* 240 A et B (p. 329 H = 391 B); 241 A *Σαλαμίς* (cfr. Alcib. 121 B); 241 C *Πλαταιαί* et 241 D *Εὐρυμέδων* · 242 A *Τάναγρα*· 243 C *Μυτιλήνη* et fortasse 243 E *'Ελευσίς* (Stephanus: *δῆμος τῆς 'Ιπποθοωντίδος φυλῆς* — — accuratius conspirat Strabo IX 1. 12 = C 395: *ἐν δὲ τοῖς δήμοις καταριθμεῖται ἡ πόλις*). De Corintho autem urbe Byzantius nihil simile tradit atque scholiasta 245 E (p. 330 H) quem non ausim ad Strabonem (VIII. 6. 20 = C 378 et VIII. 6. 22 = C 380) quamvis

[1]) Vide Nicolai Gr. Lit.-Gesch. vol. II. p. 605 (Edit. II).

simillima tradentem referre. Cui vero Marathonis descriptio debeatur, eruere nequeo (Suidas differt.).

Ad Gorgiam quoque scholiasta Stephani libris usus est compluribus locis, velut ad 487 C (p. 315 H = 350 B) *Χόλαργος*, et ad glossam quae antecedit *Ἄφιδνα*, quanquam Stephanus hunc demum *ΛΕΟΝΤΙΔΟΣ*, ille autem *ΑΙΑΝΤΙΔΟΣ* fuisse tradunt; nam illa forma ex hac sine dubio corrupta est: adversus Byzantium nempe cum scholiasta faciunt Plut. Quaest. Symp. I. 10. 1 et 2, inscriptio ex anno 325 a. Chr. n., Harpocratio s. v. *Θυργωνίδαι* (quos citat Ross: Die Demen v. Attica, Edit. M. H. E. Meier. p. 114)[1]).

Eundem geographum scholiasta ad Alcib. I. saepius sequitur, velut ad 116 D (p. 279 H = 386 B) *Πεπάρηθος*, cuius scholii pars prior apud Stephanum, altera apud Strabonem similis occurrit (X .5. 1 = C 485 *Δῆλος καὶ αἱ περὶ αὐτὴν Κυκλάδες*· vide et X. 5. 2), qua re ille olim ibi plenior fuisse aut scholion conglutinatum esse videtur; deinde *Αἴγινα* 121 B; *Ἐρχιεῖς* 123 C, ubi praeter *Αἰαντίδα φυλήν*, a nullo scriptore memoratam, additur *ἢ ὥς τινες Αἰγηΐδα*, quam non solum Stephanus et Harpocratio commemorant, sed etiam Hesychius affert. — Verumtamen, etsi Stephanus permultis locis eadem ac scholiasta tradit aut paullulum tantum differt, inveniuntur glossae, de quarum origine dubites; scholion est ad Hipp. I. 281 A (p. 325 H = 393 B): *Ἦλις πόλις Πελοποννήσου, πρὸς τῇ Ὀλυμπίᾳ, ἀπέχουσα Πίσης τριακοσίους σταδίους*[2])· Stephanus s. v.: *Ἦλις, πόλις πρὸς τῇ Ὀλυμπίᾳ*. At iam supra Stephani *Ἐθνικά* non superesse nisi trunca memoravimus (p. 45 cum adnot.).

---

[1]) Meierus quidem in nota p. 114, quamvis dubius, Stephani verba probe se habere opinatur: tum igitur tribus afferuntur: Aeantis, Leontis, Ptolemais (Hesych.), Hadrianis (C. J. Gr. I. 370): quas omnes enumerat C. Fr. Herm. Gr. Staatsalt. IV. Edit. p. 578 et seq.

[2]) Fere eadem vide ad Remp. 465 D (p. 343 H = 405 B).

Facillime igitur ea, quae scholiasta his duobus geographis debet, cognosci possunt; item fere de glossis Diogenianeis statuendum est, quae collato Hesychio, Photio, aliis investigantur; quanquam ibi res non ubique satis certa est, quoniam hi duo lexicographi etiam Boethi glossas afferunt, quas Naberus omnes scholiastam ab illo mutuatum esse censet (vide infra in capit. VI), velut *Λυκαβηττός* ad Crit. 112 A (p. 370 H = 444 B) et *Πνύξ* (ibid.); atque de illa quidem voce Hesychius cum scholiasta ad verbum conspirat, necnon de altera (*Πνύξ*) adeo convenit, ut Cobetus (Mnemos. IV. p. 284. 1876) sibi persuadeat huius fontem illum esse. Etiam Photius s. v. easdem glossas affert, etsi nonnulla omittit ab illis tradita. Sed certa argumenta desunt, quibus eas Boethi esse demonstretur [1]).

Alium geographum scholiasta affert, Claudium Ptolemaeum Alexandrinum, aequalem imperatorum T. Antonini Pii et M. Aurel. Anton., auctorem libri qui inscriptus est *Γεωγραφικαὶ ὑφηγήσεις*, quas ille usurpavit ad Jon. 533 D (p. 328 H = 333 B): vide Edit. Nobbe, vol. II. p. 169 seq. = VII, 30. (Aliud eiusdem de arte musica opus adhibitum videmus ad Remp. 443 D. [p. 341 H = 403 B], qui locus fluxit e libr. II. Harmonic. cap. 5 = oper. Mathematic. Edit. Wallis. vol. III. p. 57 et 58.)

---

[1]) Ex eo, quod Hesychius s. v. *Πνύξ* exhibet *νυνὶ δέ*, scholiasta autem *ὕστερον δέ* pro eis substituit, non iam colligere licet huius auctorem Stoicum esse eumque non fuisse vetustissimum (Naberus proleg. ad Phot. lex. p. 66). Nam si scholiasta Boethum secutus *ὕστερον δέ* scripsit, quem tandem Hesychius expilavisse censendus est? Confer schol. Symp. 194 B (p. 258 H = 375 B) cum Hes. Phot. Suid. s. v. *ὀκρίβας* · scholion Soph. 252 C (p. 251 H = 372 B) cum eisdem s. v. *ἐγγαστρίμυθος*.

Cap. III. DE FONTIBUS SCHOLIORUM, QUIBUS FABULAE GRAECAE ENARRANTUR.

Aliud sat amplum genus glossarum fabulas Graecorum comprehendit. Quarum plurimae ex Apollodori Bibliotheca eaque integriore, quam quae nobis servata est, haustae sunt; aliarum fontes erant Cornuti liber de natura deorum gentil., Herodotus, Antoninus Liberalis.

Atque Bibliotheca quidem quae fertur Apollodori [1]) scholiasta saepius usus est ad Timaeum et Rempublicam, velut Tim. 24 E *Ἡρακλῆς* p. 367 H = 427 B), quod scholion fluxit e Bibl. 2, 5, 10, 1—5; minus certo de scholiis 23 D *Ζεὺς Μήτιδι* (p. 426 B), 24 E *Εὐρώπη* (ibid. B); 25 B *Αἴγυπτος* (p. 427 B) iudicari potest. Nam quamvis primi scholii partem priorem eisdem fere verbis Bibliotheca (1, 3, 6) contineat, tamen altera pars, quacum Apollod. 3, 14, 6, 2. Et. M. s. v. *Ἐρεχθεύς* (371, 32) conferri debent, non ex illa sumpta est. — Alibi quidem tales narrationes, si Apollodorus eas discerptas diversis Bibliothecae locis profert, scholiasta ipse consarcinavit; velut de Eriphyle ad Remp. 590 A (p. 358 H = 419 B) ea congessit, quae in Bibl. leguntur: 3, 4, 2, 1—4; 3, 6, 1, 2; 3, 6, 2, 1—6; 3, 6, 8, 1—4 (cfr. 3, 1, 1, 2). Scholiastam igitur, qui ab aliquo alio scriptore secundam scholii partem mutuatus cum Apollodori verbis ex 1, 3, 6 receptis conglutinavit, alter ille Bibliothecae locus (3, 14, 6, 2) fugisse videtur [2]). — Plura etiam, quam in hac, leguntur in scholio ad Tim. 24 E, ubi Europes nomen oriundum esse docetur a filia

---

[1]) Vide Robert De Apollod. Biblioth. Diss. inaug. Berol. 1873.

[2]) Magis quam Apollodorus cum scholio convenit Amelesagoras Chalcedonius (Atthis), quem vide in frgm. hist. Gr. Müller. vol. II. p. 22. Nr. 1; diversas de Erichthonio fabulas contulit Eudocia (Viol. p. 159 = Anecd. Graec. edid. Villois. vol. I).

Agenoris aut Phoenicis aut Tityi. Hunc enim Apollodorus non commemorat Europes patrem (Bibl. 3, 1, 1—2)[1]. — In eadem gl. scholiasta solus Asiam *Οὐρανοῦ καὶ Γῆς* filiam nuncupat, quamvis hanc omnes quos sciam scriptores Oceani et Tethyis filiam fuisse tradant (cfr. Apollod. 1, 2, 2; Hesiod. Theog. v. 357; Hippias Eleus ap. Eustath. ad Dionys. Perieg. 270 et Andron Halicarn. quos vide in frgm. hist. Gr. Mueller. vol. II. p. 61, 4 et II. p. 349, 1). Fortasse Urani et Terrae nomina, quae in initio Bibl. extant, scholiasta negligenter etiam ad 1, 2, 2, 1 rettulit. — Namque de Libye Apollodorus (2, 1, 4, 1), quanquam *οἱ δὲ Ἀγχιῤῥόης* verba omittit, in ceteris tamen cum scholiasta conspirat; et si de Aegypto scholion (ad 25 B) cum Bibl. 2, 1, 4, 1—4 conferimus, ex hac illud quoque sumptum esse concedimus. Nam Apollodorus non solum eandem sequitur genealogiam, sed etiam ea item tradit quae scholiasta adnectit (*τοῦτον ὁ πατήρ* usque ad *Αἴγυπτον*)[2]. Quod autem ad Tyrrheniam attinet, ille nihil exhibet, quippe cuius libro manco utamur. Neque differunt scholia in Phoronei et Pyrrhae stemmatis (schol. 22 A) ab Apollodoro 2, 1, 1, 2—4 (cfr. 2, 1, 2, 1); 1, 7, 2, 1[3]). Vestigia

---

[1]) Cfr. Preller Gr. Mythol. vol. II. p. 24; 116 (Edit. III) de Agenoris et Phoenicis filia et p. 323 de Tityi.

[2]) Apollodorus.

Ἔπαφος + *Μέμφις* (Nili filia)

Λιβύη + *Ποσειδῶν*

Ἀγήνωρ et *Βῆλος* + *Ἀγχίνοια* vel *Ἀγχιῤῥοια* } Nili filia

Αἴγυπτος et *Δάναος*.

[3]) Alia tradit Apollod. de Epimetheo, quem aeque atque Hesiodus Theog. v. 511 Promethei fratrem fuisse narrat 1, 2, 2, 3; item Eudocia p. 347 extr., cfr. Preller Gr. Mythol. II. p. 76 (Edit. III). Neque nomen uxoris Promethei (*Κλυμένη*) Apollodorus exhibet.

quaedam doctrinae Apollodoreae in scholio insunt quod deinceps sequitur de diluvio, quod tempore Deucalionis accidit (v. Bibl. 1, 7, 2, 3 et 3, 8, 2), et de Dardani stirpe (nota scholii verba Δάρδανος .. ὃς Δάρδανος .. v. Bibl. 3, 12, 1, 1).

In scholiis ad Rempublicam Apollodoro accepta referuntur ea, quae de Chimaera, Scylla, Cerbero ad 588 C (p. 358 H = 419 B) et de Eriphyle in gl., quae postea affertur, legimus; vide Bibl. 2, 3, 1, 3 sq. et 2, 5, 12, et de Eriphyle supra p. 48. Scyllae autem certe mentio facta erat ἐν τοῖς περὶ Ὀδυσσέως, quae pars operis intercidit (cfr. Mueller in frgm. hist. Graec. vol. I. p. XXXVIII. col. II. praefat.). — Alios locos, qui ex Bibl. scholiis inserti sunt, investigare potui hosce: ad Euthyd. 285 C (p. 295 H = 368 B) de Medea ex Apollodoro: 1, 9, 23, 2 (Κολχικὴ γῆ); 1, 19, 26, 6 (Ἰωλκός); 1, 9, 27, 4; ad Min. 315 C (p. 370 H = 335 B) de Athamantis stirpe ex Apollod. 1, 9, 2, 1—3 et 1, 7, 3, 3; ibid. 321 A (Αἰγέως) quod scholion e Bibl. consutum est: 3, 15, 5, 4; 3, 15, 7, 3; 4; 3, 15, 8, 1—6 (cetera desunt: quae igitur scholiasta plura exhibet, eis Apollodori fragmenta augentur); ad Leges 795 C (p. 380 H = 452 B) de Geryone e Bibl. 2, 5, 10, 1—3; et quod subsequitur scholion ex initio Bibl.; ibid. 796 A de Antaeo e Bibl. 2, 5, 11, 5, cui narrationi nonnulla interponuntur e Bibl. 2, 5, 11, 1 hausta (adhibitis vocabulis ὅτε δή et τοῦτον οὖν ἀράμενος). Ex eis autem, quae postea scholiasta tradit, nihil extat in Bibl. nisi Amyci memoria 1, 9, 20, et 2, 5, 9, 6; nec tamen dubium est, quin omnia ibi lecta fuerint; nam de Theseo pauca tantum Apollod. affert. Praeterea schol. 931 B (ibid.) de Oedipode fluxit e Bibl. 3, 5, 7, 1; 3, 5, 8, 7; 3, 5, 9, 1 (de exactione eius); 3, 6, 8, 1; schol. 931 B de Phoenice ex Apollod. 3, 13, 8, 3 (et Homero?); et de Hippolyto, quanquam Bibliotheca nihil nunc continet, tamen ex hac hausisse scholiastam iam ex eo colligi potest, quod Asclepiades Tragilensis, Apollodori praecipuus auctor, magno opere convenit (vide illum in fragm. hist. Gr. Muell. vol. III.

p. 305. Nr. 24)[1]. In scholiis ad Epistulam VII, 344 A (p. 391 H = 463 B) leguntur de Lynceo eadem atque in Bibl. 3, 10, 3, 4. (Scholion vero ad Epist. VIII, 353 E de Phoenicibus Apollodori non videtur esse; cfr. tamen 3, 1, 1, 2.)

De Caeneo scholiasta plura quidem, quam Antoninus Liberalis, prodit ad Leg. 944 D (p. 388 H = 459 B). Qui tamen arcte cum scholio cohaeret, cum (cap. 17) Nicandrum secutus *Ἑτερουμένων β'* haec tradit . . . *εἴ πως αὐτῇ κόρος ἢ παῖς ἀντὶ τῆς θυγατρὸς δύναιτο γενέσθαι, καθάπερ ὅτε Καινὶς μὲν Ἄτρακος οὖσα θυγάτηρ βουλῇ Ποσειδῶνος ἐγένετο Καινεὺς ὁ Λαπίθης·* Phlego enim Trallianus (p. 75. Edit. a. 1568, vel. frgm. hist. Gr. Muell. vol. III. p. 618. Nr. 34) et Hyginus (fab. 14) Elati filium fuisse Caeneum narrant; atque Apollodorus (Bibl. 1, 9, 16, 8) patrem eius Coronum vocat[2]. E compluribus autem fontibus hoc scholion consutum esse iam vocabulis arguitur *ὑπὸ δέ τινων κ. τ. λ.*

Neque iam mira talis conglutinatio nobis esse videtur, quippe quam supra observaverimus; deinde praeter hos quos hucusque recensuimus fabularum enarratores scholiasta etiam Cornuti commentarium de natura deor. gentil. usurpavit. Inde enim sumpsit scholion ad Remp. 451 A (p. 341 H = 404 B) de Adrastea. Cornutus quidem (p. 13. Edit. Gesneri Basil. 1543 text. Gr.)[3] tres Moeras Jovis filias nusquam nuncupat, sed has scholiastae cognoscere licuit ex Apollod. Bibl. 1, 3, 1; quibus, quae hinc hausit, Cornuti verba adsuit[4]. Alia glossa ad Leges

---

[1]) Conf. Robert: De Apoll. Bibl. Diss. inaug. Berol. 1873. — Ipse Apollod. nonnulla exhibet de Theseo atque Aethra, Bibl. 3, 10, 7, 4 et 3, 15, 7, 3; de parte operis nunc perdita (3, 1, 4, 4) *τὰ μὲν οὖν περὶ . . . καὶ Φαίδρας . . . . ἐν τοῖς περὶ Θησέως ὕστερον ἐροῦμεν.*

[2]) Preller. Gr. Mythol. vol. II. p. 11 cum nota.

[3]) Editio, quae prodiit Gottg. a. 1844, in Bibl. Turicensib. desideratur.

[4]) Etiam Hesychius *Ἀδραστίαν* interpretatur *ἣν οὐκ ἄν τις ἀποδράσειεν.* Quam opinionem fuisse etiam Pausaniae lexicographi aliorum explicationes redarguentis Eustathius (ad Homer. 355, 36) testis est; eadem Suidas, lexicogr. Bachm. (Anecd. Bachm. s. v.).

914 B (p. 386 H = 456 B) compluribus e locis Cornuti composita est; cfr. init. cap. *Περὶ τοῦ Ἀπόλλωνος καὶ τῆς Ἀρτέμιδος* p. 68: *Ἀπόλλων ὁ ἥλιός ἐστιν, Ἄρτεμις δὲ ἡ σελήνη* · p. 72: *Ἀγυιεὺς δ' ἐπονομάζεται δεόντως, ἱδρυνθεὶς* (sic) *ἐν ταῖς ἀγυιαῖς· καταυγάζει γὰρ ταύτας καὶ πληροῖ φωτὸς ἀνατέλλων* · in capite inscripto *Ἴδια περὶ Ἀρτέμιδος* p. 74 similia leguntur, velut p. 76: *καὶ τριοδῖτις ἐπεκλήθη καὶ τῶν τριόδων ἐπόπτις ἐνομίσθη διὰ τὸ τριχῶς μεταβάλλειν, ὁδεύουσαν . . , τοῦ δ' ἡλίου διὰ τῆς ἡμέρας μόνον φαινομένου, αὐτὴν καὶ νυκτὸς καὶ σκότους ὁρωμένην* . . paullo infra: *ἐνοδία δέ ἐστιν, οὐ δι' ἄλλο τι ἢ Διὸς καὶ Ἀπόλλωνος ἀγυιεύς* et p. 20 (*Περὶ τοῦ Ἑρμοῦ*): *ἡγεμόνα δὲ παραδιδόασιν αὐτῶν* (scil. *τῶν Χαρίτων*) *τὸν Ἑρμῆν ἐμφαίνοντες, ὅτι εὐλόγως δεῖ χαρίζεσθαι κ. τ. λ.* et p. 23: *ἵδρυται δὲ καὶ ἐν ταῖς ὁδοῖς· καὶ ἐνόδιος λέγεται καὶ ἡγεμόνιος ὡς αὐτῷ εἰς πᾶσαν πρᾶξιν ἡγεμόνι χρῆσθαι κ. τ. λ.* (cfr. extrema verba scholii ad Symp. 217 A [p. 261 H = 377 B], alia).

Quamvis scholiasta Phlegontis Tralliani *Ὀλυμπιάδας ἢ χρονικά* [1]) ad Remp. 465 D (p. 343 H = 405 B) adhibuerit, tamen nullam glossam, quae ad mythologiam pertineat, illi debere videtur.

Utrum Herodotum ipsum scholiasta inspexerit, an compilaverit aliquem alium, illius libris usum, non effici potest; nam plus unum scholion ad eum referre nobis vix licet: uterque eadem tradit de Croeso, scholiasta ad Remp. 566 C (p. 356 H = 417 B), Herodotus I, 26 (Croesus fil. Alyatt.); I, 28 (*κατεστραμμένων σχεδὸν πάντων τῶν ἐντὸς Ἅλυος ποταμοῦ οἰκημένων*); I, 55 (*ἐπειρώτα δὲ τάδε χρηστηριαζόμενος, εἴ οἱ πολυχρόνιος ἔσται ἡ μουναρχία* etc.); I, 74 extr. (*Ἀλυάττην γὰρ ἔγνωσαν δοῦναι τὴν θυγατέρα Ἀρύηνιν Ἀστυάγεϊ*); I, 107 et 108 (de Mandane). — Scholion autem quod antecedit 566 A

---

[1]) Vide frgm. hist. Gr. Mueller. vol. III. p. 603 seq.

de Pisistrato, a narratione Herodoti[1]), qui minus copiose refert (I, 59; cfr. Plut. vita Solon. cap. 30), satis discrepat; neque in fabula de Arione Methymnaeo scholiasta ad Remp. 453 D (p. 342 H = 404 B) et ille I. 23 sic congruunt, ut ab altero ipso alterum pendere confidenter contendere liceat[2]).

Praeter huiusmodi fabularum historiarumve collectiones scholiasta hypothesin, quam in Euripidis codice Alcestidi tragoediae praemissam invenit, in Platonis scholia transtulit ad Sympos. 179 B (p. 256 H = 373 B), ubi utraque narratio eodem vocabulo *ἄλλως* coniuncta recurrit. Quin etiam ne *παρ' οὐδετέρῳ* quidem *κεῖται ἡ μυθοποιΐα*[3]) omittuntur, quanquam haec verba non sunt aptissima nisi in tragicorum scholiis, in Platonicis autem sensu prorsus carent.

Itaque planum manifestumque est fabulas quoque, quae in scholiis extant, sicut multa alia, undique congestas esse. Praeterea hic illic perspicere potuimus, qua ratione has copias, non uni eidemque auctori, sed sat multis debitas, scholiasta vel in eorundem dialogorum scholiis conglutinaverit. Atque haec certe observatio ob id gravissima est, quod postea facilius unicuique nos persuasuros esse speramus ne grammaticas quidem explicationes ad unum praecipuum fontem referendas esse.

---

1) Herodotus cum paucula alia tum satellitum numerum omittit; Polyaenus solus (I, 21, 3) cum scholiasta convenit trecentos eos fuisse referens, neque dubitavit Naberus (ad Polyaen. l. c.) etiam illi (I, 59 Herod.) pro *ἄνδρας τούτους* restituere *ἄνδρας τριηκοσίους*, quae emendatio satis probabilis est; quinquaginta satellites commemorat Plut. vita Solon. cap. 30 simulque maiorem numerum innuit; differt etiam Justin. II. 8.

2) Multo accuratius convenit scholiasta Clement. Alexandr. Protrept. vol. I. p. 413. Edit. Guil. Dindorf. oper. Clem. Alex. Oxon. 1869.

3) Vide de hac formula F. G. Schneidewini disput. De hypothesib. tragoediar. Gr. Aristophani Byz. vindic.: Abhandlg. d. K. Gesellsch. d. W. z. Göttg. Vol. VI. p. 10 seq.; cfr. Aristoph. Byz. fragm. coll. Nauck. 1848. p. 252.

Caput IV. DE SCHOLIIS, QUAE AD VITAS PHILOSOPHORUM POETARUM etc. PERTINENT.

Vitae haud paucae virorum doctrina clarorum in scholiis extant, velut philosophorum ad decimum de Republica librum, Sophistarum ad Phaedr., Aristophanis, Chaerephontis, Anyti Meletique ad Apologiam, aliorum alibi. Quae vitae, quas iam primo aspectu apparet non ex eodem fonte omnes manavisse, unde haustae sint, nobis nunc quaerendum est.

Boethus Stoicus, qui lexica duo Platonica scripsit, in eis etiam de viris, quos philosophus commemorat, celebribus egit, id quod colligi potest e Photii glossa s. v. *Κρεώφυλος*. Quae quin Platonica sit et Boetho debeatur, iam ob id dubium esse nequit, quod omisso Platonis nomine (cfr. nos postea p. 87 seq.) liber de Rep. decimus laudatur (*Κρεώφ. Πολιτείας ί* . .), et quod Photius omnes eas glossas ad Platonem pertinentes, quas non a Timaeo Sophista accepit, a Stoico mutuatus est (vide infra p. 84/5). Attamen scholiasta, quamvis eius lexicis et ipse uteretur, ad hunc certe locum non eum sed aliquem alium secutus vitam Creophyli aliasque, quae ibidem leguntur, descripsisse censendus est.

Ac vitae quidem ad decimum de Rep. librum allatae non solum Suidanis admodum similes sunt, sed etiam cum eis, quas Diogenes Laërtius exhibet, accuratissime conveniunt. Qua re scholiastam aut altero utro eorum aut eisdem similibusve scriptoribus, quorum libros Suidas et Laërtius expilaverunt, usum esse statuamus necesse est. Priorem vero opinionem reiciendam esse contendo ac nego aut a Suida aut a Diogene scholiastam pendere. Illum enim lexicographum quominus scholiorum fontem fuisse concedamus, nos impediunt et quaedam vitarum discrepantiae et res nonnullae, a Suida omissae, enar-

ratae ab illo [1]). — In ceteris autem quae uterque tradit mira sane convenientia reperitur. Neque tamen multo minor inter scholiastam et Laërtium consensus intercedit. Quamvis vero hic ubique fere copiosius disserat, nihilo setius satis multa, quae apud eum frustra quaesiveris, scholiasta aut solus, aut una cum Suida exhibet; nec raro eius verba ad hunc propius quam ad Diogenem accedunt, unde colligas tertium quendam scholiastae auctorem fuisse eumque cum Suida arctiore affinitatis vinculo quam cum Laërtio coniunctum [2]). Quod ut demonstrem, his exemplis utar: Auctore Laërtio VIII, 1, 2 (1) Pythagoras post mortem demum Pherecydis Samum venit et ibi Hermodamantem quidem audivit, sed non Pherecydem [3]). Scholiasta vero et Suidas contra statuunt. Deinde hi duo soli eundem philosophum Abaride Hyperboreo et Zarato Mago, quos Diogenes praeterit, magistris usum esse narrant. Neque hunc sequitur scholiasta, cum inter Pythagorae discipulos Eunomum et Tyrrhenum fratres et Zamolxim servum numerat eosque dicit se primos ei in disciplinam tradidisse. Laërtius enim (VIII, 1, 2 [1]) cum Suida ibi congruus nihil nisi fratrum et servi nomina affert. Etiam de filiis filiaque scholiasta et Suidas similiter a Diogene recedunt: qui cum nisus testimonio Lysidis Damonem

---

[1]) Accedit etiam temporum ratio, si vitae in antiquissimo codice M. S. Paris. A. (ap. Bekk.) dec. saec. ineunt. aut iam non. exarato (vide Schanz.: Stud. z. Gesch. d. Plat. Text. Wirceb. 1874. p. 2) leguntur; at viri D. nihil tradunt. — Apud Suidam desunt: Prodici et Charondae vitae; scholiasta plura refert de Anachars. et Solon.; et solus de Protag. morte disputat; nec convenit de Pythag. interitu, etc.

[2]) Ad Laërtium nempe vitas rettulisse videtur Schueckius Dissertat. inaug. 1845. Vratisl.

[3]) Diog. l. c. *συστῆναι δὲ* (sc. *Πυθαγ.*) *εἰς Λέσβον ἐλθόντα Φερεκύδῃ . . . μετὰ δὲ τὴν ἐκείνου τελευτὴν ἧκεν εἰς Σάμον καὶ ἤκουσεν Ἑρμοδάμαντος* (cfr. Porph. vit. Pyth. § 1 et 15); scholion (p. 360 H = 420 B) *ἦλθεν εἰς Σάμον καὶ διήκουσε Φερεκύδου(ς), εἶτα Ἑρμοδάμαντος ἐν Σάμῳ ἀμφοῖν.* Suid. *ᾤκησεν εἰς Σάμον· οὗτος ἤκουσε πρῶτον Φερεκύδου . . ἐν Σάμῳ, εἶτα Ἑρμοδάμαντος ἐν τῇ αὐτῇ Σάμῳ.*

filiam et secutus Hippobotum Telaugem filium fuisse doceat VIII, 1, 42 et 43 (24), illi filiam Myiam vel Arignoten[1]), filios autem Telaugem et Damonem vel Mnesarchum nuncupant. Praeterea *τὰ χρυσᾶ ἔπη*, quae scholiasta aeque ac Suidas ex quorundam opinione Pythagorae tribuit, in catalogo scriptorum Laërtius neglexit (VIII, 1, 7 sq. (5. seq.). A quo qui VIII, 1, 40 (21) de morte philosophi varias fabulas exhibet, scholiasta rursus differt. — In Protagorae vita iterum scholiasta cum Suida magis quam cum Diogene non solum in rerum dispositione, verum etiam in verbis ipsis conspirat. Ne omnia quidem ea, quae illorum uterque nobiscum communicat, Laërtius exhibet; velut nullam mentionem facit cognominis, quod Protagoras ex ampla philosophiae mercede traxit (*λόγος ἔμμισθος*, cfr. Laërt. IX, 8, 52 (3), nec quicquam de Isocrate et Prodico, quos scholiasta et Suidas eius disciplina usos esse dicunt, memoriae tradit. — Solonem Diogenes non narrat ob Pisistrati insidias patria cessisse (I, 2, 50 [4]: *ἀπέπλευσεν εἰς Αἴγυπτον*). Suidas autem (*ἐπιβουλευθεὶς δ' ὑπὸ Πεισιστράτου . . . ἀπεδήμησεν*) et scholiasta (*διὰ τὴν ἐξ αὐτοῦ ἐπιβουλήν* [p. 359 H = 420 B]) causam, cur Athenis abierit, afferunt; nec nullius momenti est, quod ibidem Laërtius *ἀπέπλευσεν* verbo, uterque illorum *ἀπεδήμησεν* utitur; cuius generis exempla conferas velim cum alia tum haec: Diog. I, 2, 51 (4): *καὶ πόλιν ᾤκισεν*, Suid. *καὶ ἔκτισε πόλιν*, schol. *κτίζει πόλιν·* in Protag. vita hi tradunt *φορτοβαστάκτην*, *φορμοφόρον* Laërt. IX, 8, 53 (3); in vita Pythag. VIII, 1, 7 (5) Diogenes *τὸ δὲ φερόμενον*, inquit, *ὡς Πυθαγόρου Λύσιδός ἐστι τοῦ Ταραντίνου Πυθαγορικοῦ·* pro *Πυθαγ.* Suidas aeque ac scholiasta (ad 600 B. p. 360 H = 420 B) *μαθητοῦ αὐτοῦ* (*γενομένου* add. Suid.)

---

[1]) Schol. *Μυῖα ἢ ὥς τινες Ἀριγνώτη·* Suid. *θυγάτηρ Μυῖα ὄνομα, κατὰ δὲ ἄλλους καὶ Ἀριγτώτη* (Bernh. ad loc. vertit: At alii tradunt *Ἀριγνώτη*). Item Porphyr. cap. 4: *Ἄλλοι δ' ἐκ Θεανοῦς . . υἱὸν Τηλαύγη . . ἀναγράφουσι καὶ θυγατέρα Μυῖαν, οἱ δὲ καὶ Ἀριγνώτην.*

exhibet. Necnon a Laërtio uterque discrepat omissis plerisque nominibus auctorum, quibus hic permultis locis usus est vel se usum esse simulat.

Huiuscemodi igitur argumentis commotus recte mihi videor supra contendisse (nec Suidam) nec Diogenem scholiastae vitas suppeditavisse et earum fontem arctius cum Suida quam cum illo cohaerere, i. e. eodem ex libro ac Suidam scholiastam hausisse mihi persuasum habeo, ex Hesychii nempe Milesii Onomatologo vel πίνακι τῶν ἐν παιδείᾳ ὀνομαστῶν [1]). Hunc enim a Suida et ab Eudocia uberrimum vitarum fontem usurpatum esse nunc inter viros doctos constat [2]). Ob magnam vero cum illis congruentiam verosimillimum est scholiastae non genuinum Hesychii librum, sed epitomen tantum aeque atque illis praesto fuisse [3]). Namque huius auctor sacrorum christianorum studiosus erat, Hesychius autem ipse eorum expers

---

[1]) Hac quaestione iam absoluta in manus meas venit Jo. Flachii de Suida et Eudocia liber (Untersuchg. . . Leipz. 1879), in quo (p. 57) commemorat: E. Rhode (Mus. Rhen. vol. 33. p. 205 (1878) scholiorum vitas Pyth. Creoph. Protag. Prodic. Hesychio vindicandas esse censuisse.

[2]) Vide Bernh. ad Suid. praefat. p. LV; Mueller frgm. hist. Gr. vol. IV. p. 143/4; Schmidt: Didymi Chalcent. frgm. p. 17. not. 1 et p. 392; idem in Jahnii Annal. vol. 71. p. 775 (1855); Curt. Wachsmuth. Symb. Philol. Bonn. I. p. 138 sq.; Volkmann. quaest. sel. de Suid. biograph. Dissert. inaug. Bonn. (1861) et iterum in Symb. Philol. Bonn. II. p. 717 seq.; Fr. Nietzschius Mus. Rhen. vol. 24. p. 210 sq. et p. 228. — Eudociam, quae Bernhardyo (ad Suid. praef. p. XXXI) videbatur Suidae lexico usa esse, rectius Fr. Nietzschius putat ex Onomatologo hausisse (Mus. Rhen. vol. 22. p. 190 seq. (1867) et vol. 24. p. 228. Eandem opinionem sequitur Flachius et quos citat (p. 35—101). — Quod ad Hesychii cum Diogene cognationem pertinet, Fr. Nietzschius (Mus. Rhen. vol. 24. p. 227 seq. Magnetem Demetrium eorum communem fontem dicit (similiter E. Rhode. Mus. Rhen. vol. 33. p. 203 et 205. not. 1). Flachius autem (libr. cit. p. 49 seq.) contendit Hesychium Diogenis ipsius libris usum esse.

[3]) Vide Fr. Nietzsche in Mus. Rhen. vol. 22. pag. 193 not. 17 et quem citat D. Volkmann. Symbol. Phil. Bonn. II. p. 728. not. 18; cfr. Wachsm. libr. cit. vol. I. p. 138 cum nota 2.

fuisse videtur [1]). — Necnon christianae fidei vestigia inveniuntur etiam in glossa de Sibyllis (ad Phaedr. 244 B. p. 269 H = 315 B), quam Hesychio restituendam esse suspicor. Simillima enim glossa apud Suidam extat. Dubitari quidem potest, utrum hic omnia, quae de Sibyllis affert, uni Hesychio debeat, an ea tantum ex huius opere sumpserit, quae etiam Eudocia de septem Sibyllis p. 383 exhibet, cetera autem ab alio auctore mutuatus sit (Suid. edid. Bernh. p. 740, 13 seq.). Si concedimus ea, quae Suidas fusius (p. 740, 13—741 11) disputat de Sibylla Chaldaea ab Eudocia perbreviter tantum memorata, ex Onomatologo (vel epitome) manavisse, ex hoc hausisse credatur necesse est etiam Anonymus in Krameri Anecd. Gr. Paris. (vol. I. p. 332—334), qui eisdem fere verbis de Chaldaea agit. Cum vero hic de omnibus decem Sibyllis eadem fere atque Suidas et scholiasta Platonis et anonymus praefator oraculor. Sibyllinor. (edid. Alexandre Paris. 1869, p. 16) enarret et meliore ordine quam Suidas exponat (ut recte Bernh. adnotat ad lexicon p. 740, 13): non solum ille ipse sed etiam ceteri [2]) Hesychium probabiliter secuti sunt. Itaque non probo opinionem quam Alexandre ad locum cit. affert: paene omnia de

---

[1]) Sic Nietzschius in Mus. Rhen. vol. 22. p. 189 et Lehrsius (Pindarschol. p. 163 et 164 = Mus. Rhen. vol. 17. p. 457 seq.); Flachius vero l. c. p. 73. not. 2 et Hesychium et epitomatorem christianum fuisse putat. — Quae hodie feruntur fragmenta Hesychii, ea subditicia esse tempore literarum renatarum ex Suida aliisque excerpta evicit Lehrsius (Mus. Rhen. vol. 17. p. 454 seq. = Pindar schol. p. 160 seq.) aliisque etiam viris doctis sententiam suam probavit, velut Nietzschio et Flachio.

[2]) Mirum est, quod Photius (quaest. Amphiloch. 160 ap. Montfaucon Biblioth. Coislin. p. 347 seq.) adeo cum scholio quod legitur in Platonis codice Veneto (Schanz: Der Platocod. d. Marc.-Bibl. Leipz. 1877, p. 18) conspirat, ut ille inspexisse videatur librum M. S. Veneto simillimum. Uterque perperam refert verba: περὶ ἧς ἔγραψεν Ἐρατοσθένης, scholiasta ad quartam, ad quintam Photius; rectius ad sextam ea exhibet Varro (apud Lactant. Instit. Div. I. cap. 6); vide Bernhardyi Eratosthenica (Berol. 1822) p. 86.

decem Sibyllis e Lactantio excerpsisse praefatorem et hunc secutos esse scholiastam Platonis, Photium in Amphiloch., Suidam et Pseudohesychium.

Quod ad alias vitas, quae in scholiis extant, attinet, Heracliti duplex legitur ad Remp. 498 A (p. 347/8 H = 409 B). Sed quanquam alterius glossae verba admodum cum Laërtio conveniunt (IX, 1 seq. cfr. IX, 1, 9—11), tamen non huic neque Hesychio scholion restituendum est (cfr. Suid. s. v.); nam Plutarcho, qui (de placit. philosophor. II, 22, 2 et 24, 3, 4) eadem exhibet, scholion debetur inde a vocib. οὗτος τό . . Unde autem ea, quae post ἄλλως afferuntur cum Plutarchi verbis consuta, recepta sint, diiudicari nequit. — Vitae quae sunt ad Phaedrum 235 C (p. 266 H = 312 B) et ad Alcib. pr. 118 C et 119 A (p. 279 H = 387 B) allatae Sapphonis et Anacreontis poetarum et Anaxagorae et Zenonis philosophorum num ex Onomatologo fluxerint, non liquet ob nimiam earum exilitatem [1]). Multo autem certius Hesychio vindicamus Dionis vitam (schol. ad Epist. IV, 320 A. p. 390 H = 463 B), quacum Suidanam (s. v. Δίων) conferas.

De viris claris saepius in scholiis ad Phaedrum disputatur, velut de Tisia ad 267 A (p. 274 H; deest ap. B), de Gorgia, Prodico, Polo, aliis; sed quicquid de his traditur, ex Hermiae comment. (de quo supra egimus p. 24) haustum est. Procli autem est scholion 20 A Tim. (p. 364 H = 423/4 B; vide supra p. 10 indicem); eiusdem esse scholia 629 A et 630 A ad Leg. (p. 375 H = 448 B) iam supra p. 29 probavimus. (cfr. Mus. Rhen. vol. 18 p. 151 et vol. 22 p. 198—200).

Prae ceteris vitis docte compositae sunt et aliud genus dicendi exhibent Aristophanis ad Apol. 19 C (p. 227 H = 330 B), Anyti Meletique ibid. 18 B et 23 E, Chaere-

[1]) Flachius libr. cit. p. 90 Zenonis et Anaxagorae vitas Hesychio reddendas esse affirmat; at verba saltem διὸ καὶ . . . πολιτικόν non Hesychii, sed commentatoris, vel scholiastae sunt.

phontis ibid. 20 A, Agathonis ad Sympos. 172 A (p. 255 H = 373 B)[1], Aspasiae ad Menex. 235 E (p. 329 H = 391 B) quae fere omnes non traduntur nisi in cod. M. S. Clark. Harum vitarum auctor magnam operam navavit scriptoribus qui vocantur classicis legendis eorumque testimoniis componendis (cfr. vit. Chaereph.). Aristophanis vitam, quam Suidas tradit, suspicor ob genus dicendi ibi adhibitum Hesychio acceptam referri; quam autem scholiasta Platonis suppeditat, ea cum Suidana minus apte comparatur, quam alia, quae in Aristoph. schol. cod. Venet. extat (vide hanc in Duebneri Edit. schol. vel in Aristoph. Comoed. Edit. Meinekiana. Lips. 1859. vol. I. p. IX). — Has vitas omnes, quas attuli, si etiam in Photii lexico legerentur, Boetho reddere non dubitarem. Quoniam autem ibi desunt, fieri nequit, ut Stoici eas esse confidenter dicamus.

Huic capiti adiungam complures alios scriptores, quibus scholiasta perpaucas tantum glossas easque ampliores debet, quorumque libros ipse, i. e. non e commentariis cognovisse aut certo aut probabiliter putandus est.

Philostrati ἐν τῷ Περὶ γυμναστικῆς mentio fit in scholio ad Rempubl. 338 C (p. 333 H = 397 B). Illius libellus, primum a Minoïde Myna Parisiis a. 1858. editus et iterum a. 1871 a Kaysero publici iuris factus, cum scholio accurate congruit (cfr. Edit. Minoïde p. 11 et 9; Kayser op. Philostr. vol. II. p. 265, 32 et 265, 13). Etiam quod antecedit scholion de Polydamante, indidem haustum est (cfr. Minoïde p. 23; Kays. vol. II. p. 272, 24), necnon schol. ad Protag. 335 E (p. 297 H = 321 B) de dolichodromis (Min. p. 5, Kays. vol. II. p. 262, 10). Cum vero opusculum Philostrati non integrum servatum sit (vide Kays. praefat. p. XVI), haud scio

[1]) Vide hanc etiam in Luciani schol. (Kram. Anecd. Oxon. vol. IV. p. 269).

an huc alia quoque eiusdem generis scholia referenda sint, velut ad Remp. 544 B *παλαιστής*] *ἔθος* (p. 353 H = 414 B), Leg. 633 B *τὰς γυμνοπαιδίας* et scholion quod deinceps affertur de *κρυπτείᾳ* (p. 378 H = 450 B)[1].

Galenum et Hellanicum ad Symp., Manethonem ad Timaeum usurpatos esse supra monui (p. 41; p. 8). — Quorum omnium libris aeque ac Theophrasti historia plantarum scholiasta sic usus est, ut integras particulas ceteris glossis insereret, ad verbum plerumque auctores suos secutus, velut in scholio ad Remp. 560 C de Loto Theophrastum (l. cit. libr. IV. cap. III, 1—2 = p. 138. Edit. Wimmer. 1842); de *μανδραγόρᾳ* eundem (ibid. libr. IX. cap. IX, 1 = p. 314—315. Edit. Wimm.) ad Remp. 488 C (p. 346 H = 408 B). — Necnon scholiasta saepius, quam fontes suos praecipuos, eos citat, quos raro adhibuit.

---

[1]) Verosimilius tamen haec duo scholia eiusdem auctoris sunt, atque scholion de Syssitiis Lacedaemoniorum (ibid.); tum autem omnia e commentario manaverunt (vide supra p. 36 seq.) post Plutarchum scripto; qui simillima tradit in vita Lyc. cap. 12; 21; 28; in libro de Instit. Laced. c. 890.

C.

DE GLOSSARUM QUAE GRAMMATICI SUNT ARGUMENTI FONTIBUS.

Caput V. DE TIMAEI LEXICO A SCHOLIASTA USURPATO.

Glossae, de quibus hucusque egimus, haustae erant aut e commentariis ad Platonis dialogorum interpretationem comparatis, aut e libris scriptorum, qui quanquam nec philosophiam neque dialogos illius respexerunt, tamen in usum vocati sunt ac singulas particulas, quibusdam rebus sententiisque illustrandis aptas, scholiastae suppeditavere. Permultae autem glossae restant, quae omnes fere grammaticis debentur, et quibus singulae Platonis voces definiuntur et explanantur. Quae ipsae quamvis inter se simillimae sint, e duobus praecipuis fontibus fluxisse censendae sunt, ex altero, ad quem glossas e lexicis Platonicis sumptas refero, ex altero, qui alia lexica comprehendit eaque non Platoni illustrando soli destinata, quae rhetorica dici solent. Ac primum quidem de illis eorumque auctoribus nonnulla afferamus.

Genus dicendi Platonis, quippe qui in dialogis multas voces verborumque conformationes a ceteris Atticis scriptoribus alienas adhibuisset et saepenumero poetarum magis quam prosae orationis scriptorum more locutus esset, cum ante tum post Christ. nat. a viris philosophi dialogorum studiosis explicatum et explanatum est (cfr. verba Timaei: ἐξέλεξα τὰ παρὰ τῷ

φιλοσόφῳ γλωσσηματικῶς ἢ κατὰ συνήθειαν Ἀττικὴν εἰρημένα). Itaque ea omnia, quae apud Platonem singularia et huius ipsius propria invenerunt aut a posteriorum Graecorum dictione abhorrere viderunt, collegerunt atque in glossariis singulas voces *στοιχηδόν* plerumque dispositas interpretati sunt. — Quibus e scriptis duo tantum nobis tradita sunt: Timaei Sophistae exiguus libellus vocum Platonicarum, et *Διδύμου περὶ τῶν ἀπορουμένων παρὰ Πλάτωνι λέξεων συναγωγή* (Miller Mélanges de Littérature Gr. p. 399—406. Paris. 1868). Sed etiam alii eandem rationem ac consilium secuti Platonis voces minus usitatas illustrandas sibi proposuerunt:

Boethus Stoicus philosophus duo lexica confecisse traditur, alterum *λέξεων Πλατωνικῶν συναγωγή* inscriptum, Melanthae cuidam dedicatum, alterum eodem cum titulo quo Didymi opusculum supra memoratum (Phot. Bibl. cod. 154 et 155. Edit. Bkk. p. 100ᵃ 13 seq.).

Harpocrationem Argivum, Caesaris aequalem, Suidas auctor est voces Platonis duobus libris eiusque dialogos viginti quatuor libris explicuisse; itemque Clementem quendam illius vocibus illustrandis operam suam navasse compertum habemus [1]). Paucis disseremus de Timaei lexico eiusque in scholiis usu deque fontibus ac tempore quo ille vixerit.

De Timaeo satis copiose egit Ruhnkenius, eius libri editor celeberrimus. Glossae illius pleraeque sunt brevissimae et exiles neque magnam auctoris doctrinam produnt. Multae etiam glossae contractae esse videntur neque genuinam formam exhibent (cfr. Naber. proleg. ad Photii lexic. p. 115); deinde haud paucae earum interpolatae sunt; quippe quae cum ad alios tum ad

---

[1]) De utroque vide Ruhnk. praef. ad Tim. Sophist.; Harpocrationis explicationum nusquam apud lexicographos vestigia supersunt nec quicquam in scholiis nostris invenitur. Clementem autem Suidas citat s. v. *ζάλη*, *Ἥρας δεσμούς*, *παλίμβολος* (Etym. Mg. 407, 37); eadem Photius.

Herodotum, non ad Platonem spectent. Nihilo minus Ruhnkenius hoc opusculum laudibus satis effert (praef. p. 11); iusto iniquius Naberus (proleg. ad Phot. lex. p. 113 seq.) de eo iudicat. At Timaeus, qui in epistula nuncupatoria libellum a se scriptum non vocat nisi *παιδιὰν οὐκ ἄμουσον*, ipse profiteri videtur se non id egisse, ut eorum omnium, quae in Platone illustrari possent, accuratas uberesque explicationes ad amicum mitteret, et locos vocesque paullo obscuriores omnes fuse interpretaretur, sed id sine dubio sibi proposuit, ut quae in legendis Platonis dialogis obiter observavisset commemoratione digna, ea breviter *κατὰ στοιχεῖον* congereret atque amicum, hominem Romanum, Graecus ipse, doceret.

Timaeum scholiasta haud raro accurate sequitur, velut ad Alcib. I. 107 E *ἀκροχειρίζεσθαι* (p. 277 H = 385 B); *Ἀλευάδαι* ad Menon. 70 C (p. 324 H = 367 B); *ἀνακηκίει* ad Phaedr. 251 B (in Veneto cod. M. S. vide Schanz.); *ἀποφράδες ἡμέραι* ad Leg. 800 D (p. 381 H = 452 B); *δυσωπεῖσθαι* ibid. 933 A (p. 387 H = 458 B); aliter idem vocabulum explicatur ad Phaedr. 242 C (p. 268 H = 315 B); *δρύοχος* ad Tim. 81 B (p. 369 H = 428 B); *βλίττειν* ad Remp. 564 E (p. 356 H = 416 B), *διανενεύκαμεν* ad Parmenid. 137 A (p. 253 H = 329 B), quo quidem loco Plato aoristi infinitivum adhibet (aliter ad Phaedr. 264 A); perfecti formam non invenies nisi Reipubl. libr. IV. p. 441 C; *εἶεν* ad Polit. 257 A (p. 251 H = 372 B)[1]; *ἐπηλυγάζονται* ad Lys. 207 B (p. 294 H = 320 B); *κηφήνεσσι κοθούροισι* ad Leg. 901 A (p. 385 H = 456 B); *λιθολόγοι* ad Leg. 858 B (p. 455 Bekk.); *ἐξηγηταί* ad

[1]) Hoc scholion usque ad *μέλλοντα* legitur etiam ad Remp. 337 C in cod. Ven. et in Lobcov. (Schneider. schol. Edit.); necnon ad Phileb. 59 E (*ἀναφώνημα* usque ad *ἀλλά*) in cod. Venet.; in schol. ad Polit. 257 A cod. Venet. exhibet non *ἤ ἀναφώνημα*, sed *εἶεν ἀναφώνημα* unde colligi posse videtur scholion ad Polit. e duabus tribusve glossis consutum esse. Tim. *ἄγε δή* omittit; Suidas tradit *ἄγε δή* . . . *μέλλοντα*, cetera desunt.

Leg. 916 C (p. 386 H = 456 B). At haec exempla satis sunto; inveniuntur autem etiam alia, quibus alter ab altero paullo differat.

Quaeri debet, quae ratio inter singulos codic. M. S. atque Timaeum, quaeque inter huius glossas ac singulos dialogos intercedat. — Clarkianus liber M. S. Timaei interpretamentis prorsus carere videtur; nam glossa, quae una huic opinioni obstat, non satis congruit; scholion est ad Phaedr. 242 C (p. 268 H = 415 B) ἐδυσωπούμην · ὑπώπτευον · Timaeus: δυσωπεῖσθαι · — ὑπόπτως ἔχειν. Codex autem M. S. Venetus, qui in omnibus fere scholiis cum Bekkerianis consentit, perpauca tantum solus tradit, velut οὐκ ἄλλως ad Phaedr. 232 A, quamvis multo pluribus locis scholiastae licuerit Timaei glossulas adicere; alios eosque meliores auctores expilare maluit. — Timaei explicationes prorsus absunt a scholiis ad Apol., Criton., Phaedon., Cratyl., Soph., Phileb., Alcib. II, Hipparch., Amat., Critiam, Min., Epist., Axioch. — Quoniam Sophistae lexicon haud raro cum aliorum glossis convenit, dubium est, cui scholiasta quasdam interpretationes debeat; confer διωλύγιον apud Timaeum, Hesych., schol. ad Theaet. 162 A (p. 241 H = 361 B); ἄρνυσθαι apud Tim. Hes. schol. ad Remp. 346 C (p. 334 H = 397 B); δημοῦσθαι apud illos et schol. Theaet. 161 E (p. 241 H = 360 B); in prima glossa paullo magis cum scholio Hesychius (i. e. Diogenianus) consentit, in secunda et tertia nullum discrimen invenitur. Deinde non e Timaeo, sed ex Olympiodori commentario fluxit gl. ἐδιώκαθες ἀντὶ τοῦ ἐδίωκες ad Gorg. 483 A (p. 314 H; deest ap. B): Clarkianus enim liber M. S., qui eam solus exhibet ibi et omittit ad Euthphr. 15 D (p. 226 H = 328 B), a Neoplatonico accepit.

Quaestio de fontibus Timaei ob id difficilis est, quod eius glossae et paucae et exiguae sunt ac propter exilitatem rarissima scriptorum testimonia continent. Iam Naberus (proleg. ad Phot. lex. pag. 115) Timaei doctrinam quantulamcunque

ex optimis copiis fluxisse dicit et exemplis utitur gl. *θόλος*, *Κεραμεικός* (cfr. Harpocrat.), *ὑπάγειν εἰς δίκην* (cfr. Ael. Dionys. apud Phot. s. v.), *στέμφυλα* (cfr. schol. Aristoph. Nub. 45)[1]. Eratosthenis explicationem glossa Timaei *σισύρα* affert (cfr. schol. Plat. ad Eryx. 400 E [p. 394 H = 466 B]; Maur. Schmidt. Didym. Chalcent. frgm. p. 62—65); item Pollux (VII. 70) Aristophanis versum tradit, quem aeque ac Timaeus simul cum vocis interpretatione descripsisse putandus est. — De ostracismo Sophista (s. v. *ἐξοστρακισμός*) similiter agit atque Philochorus (vide lexic. Cantabrig. vel post Photium edid. Pors. p. 675, 12, vel frgm. histor. Gr. edid. Mueller. vol. I. p. 396, 79 b)[2]. — Glossa *ἀντωμοσία* memorabilis est, quod ex ea colligimus Timaeum non ipsum notiones vocum, quae sunt *ἀντωμοσία, διωμοσία*[3], *ἐξωμοσία* diversis e fontibus hausisse et conquisivisse, sed omnes eodem fere modo invenisse congestas ac Pollucem, Eustathium ad Homer. 1660, 47, qui *κατὰ τοὺς παλαιούς* explicat. — Alia Timaei glossa ad Didymum et Lycophronem magna cum verosimilitudine referri potest: *τευτάζων· πραγματευόμενος, ἐνδιατρίβων.* Photius enim Boethum[4] secutus haec habet: *τευτάζειν· πραγματεύεσθαι ἢ σκευωρεῖσθαι — — πολὺ διατρίβειν ἐν τῷ αὐτῷ. Λυκόφρων οὕτως καὶ Δίδυμος — —.* Hanc vero glossam Stoicum e Pamphilo hausisse Naberus probabiliter exponit (proleg. ad Phot. lex. p. 66); etiam Hesychii

---

[1]) At *στέμφυλα* non est vocabulum Platonicum; deinde *ὑπάγειν εἰς δίκην* ad Plat. Euthphr. 14 C, quo loco solo *ὑπάγειν* legitur, referri nequit; vide Astii lexic. Plat. s. v. *ὑπάγειν*.

[2]) *Ἐξοστρακισμός* substantivum, quod Timaeus explicat, non comparet apud Platonem, qui tamen *ἐξοστρακίζειν* verbo utitur Gorg. 516 D. Item philosophus *τριττναρχεῖν* dicit Rep. V, 475 A; at ille (et schol. ad loc. c.) *τριττύς* vocem interpretatur.

[3]) *Ἐξωμοσία* apud Plat. non legitur; cfr. Tim. s. v. *ἐξωμοσία* et s. v. *διωμοσία*.

[4]) Confer infra pag. 87.

interpretatio ex eodem fonte manavit. Qui quod usus est Diogeniani potissimum lexico e Pamphili thesauris hausto et quod in aliis quoque satis multis glossis cum Timaeo congruit [1]), pro certo haberi potest huius glossulas per magnam partem aliquapiam via ex Alexandrinorum copiis fluxisse. Timaei autem ingenio quaedam nugae deberi videntur, quales sunt s. v. *γεννῆται*, *κίβδηλον*, *νυνί*, *νώ*, *νῶϊν*, *νεοθνής*, *ῥᾴδιον* (*ῥᾷον*, *ῥᾷστον*), *ὥς οἷόντε*, alia. Nec desunt vestigia interpretationis a philosopho aliquo profecta, cfr. s. v. *φάναι*.

Scriptores Timaeus non laudat nisi Homerum, Aristophanem (*σισύρα*), Hippocratem (*σφριγγῶντες*), Porphyrium (s. v. *οὐχ ἥκιστα*) [2]). Huius quidem nomen interpolatum esse probare studuit Ruhnkenius (praef. p. IX); et quanquam certe non licet omnia, quae inepta sunt, interpolatrici manui tribuere ac Timaeo abiudicare, facile tamen unusquisque concedet miram sane in illustranda voce a Platone sexcenties adhibita Porphyrii memoriam esse et huius testimonium valde dubium videri. Quamvis autem Ruhnkenius huic glossae fidem derogandam esse putaret, nihilosetius Sophistam eodem fere tempore ac Porphyrium vixisse opinatus est, quae sententia satis est probabilis; nam Timaei lexico etiam Hermias qui aequalis fuit Procli (412—485 p. Chr. n.) ad Phaedrum haud dubie usus est (*ἐξάντη*, Herm. comment. p. 111; *ἀνακηκίει*, ibid. p. 161;

---

[1]) Hesychius (vel Diogenianus) aut simillima aut prorsus eadem tradit s. v. *ἀναδῆσαι*, *ἀνακογχυλίσαι*, *ἀναπεμπάζεσθαι*, *ἀνασκινδυλεύεσθαι*, *ἀσπαλεύς*, ubi *ἔνιοι* vocabulum extat a Timaeo omissum; *ἀποστομ(ατ)ίζειν*, *ἀχαριστεῖν*, *βέβηλος*, *Βένδις*, *βλάξ*, *βλίττειν*, *διαγράφειν*, *σκήπτεται* et *σκήπτοιτο*, *σκολύθρια*, *στρόφιγξ* et *στρόφιγγα*, *στρυφνόν*, *συνέριθος*, *σχηματιζόμενος*, *τέγγεσθαι*, *τεθυμμένον*, *τελεταί*, *Τέμπη*, *τωθάζει*, *ὦ τᾶν*, et multa alia: cum Diogeniani fontibus arctissime coniunctus est Timaeus.

[2]) Poetae alicuius versiculum Tim. affert. s. v. *ὀκρίβας* — — *λογεῖον κ. τ. λ.*; qua re Naberus errat (proleg. ad Phot. p. 116) qui verba *λέγει γοῦν τις* librarii esse censet.

Ὁμηρίδας ibid. p. 163 extr.; προσεπαίσαμεν, ibid. p. 189. init.).

Fieri nequit, quin ibi mentionem faciamus observationis cuiusdam, quae et ipsa ad Timaeum spectat ac gravissima est ad fontes lexici Photiani accuratius cognoscendos, de quibus haud raro etiam postea occasio erit disputandi. — Patriarcha nempe saepius Timaei explicationes cum eis conglutinavit, quae in lexico Bachmanni (= Anecd. Gr. vol. I) extant; id quod ex hisce exemplis colligo:

Lexic. Bachm.: ἐχέγγυος · ὁ ἀσφαλὴς ἐγγυητής ·
Tim.: ἐχέγγυον · τὸ διὰ πίστεως ἄξιον οὕτως καλεῖ (scil. Plato).
Phot.: ἐχέγγυος. ὁ ἀσφαλής · ὁ διὰ πίστεως ἄξιος.

B.: ἱμᾶν καὶ ἱμεῖν ἀντὶ τοῦ ἀντλεῖν.
Tim.: ἱμᾶν · ἀνέλκειν, ἀνασπᾶν.
Ph.: ἱμᾶν καὶ ἱμῆν (sic.) · ἀντλεῖν, ἀνέλκειν, ἀνασπᾶν.

B.: ὁμοτέρμονας · πλησιοχώρους [1]).
T.: » ες · οἱ ὁμοῦ τὰ τέλη ἔχοντες, οἷον οἱ γείτονες. ὁμοῦ γὰρ ἔχουσι τὰ τέρματα [2]).
Ph.: » ας · πλησιοχώρους · τοὺς ὁμοῦ τὰ τέλη ἔχοντας.

B.: μανόν · ἀραιόν. χαῦνον. ἢ ἀνωφερές, ὡς φλόξ.
T.: » · ἀραιόν, καὶ μαινόμενος ὁ μὴ ἰσχυρὸς ταῖς φρεσίν.
Ph.: » · αραιόν ἢ χαῦνον ἢ ἀνωφερές, ὡς φλόξ · καὶ μαινόμενος ὁ μὴ ἰσχυρὸς ταῖς φρεσίν.

His enim exemplis opinio [3]) eorum, qui Bachmanni συνα-

---

[1]) Eadem gl. legitur in Eudemi lexico M. S.; vide Boysenii quaest. Harp. Kiliae 1876 p. 104.

[2]) Plato non dicit nisi ὁμοτέρμονος (Leg. VIII. 842. E).

[3]) Cfr. etiam gl. σπαργῶσα ap. lex. Bachm. Tim. Phot.

γωγήν ex Photii lexico descriptam esse contendunt, infringi posse videtur, quoniam incredibile est has quas attuli Timaei glossas olim pleniores fuisse et cuiusque earum prima verba abscissa esse; atque Photius manifestus est terminos mutavisse Timaei explicationum (*ἐχέγγυον*, *ὁμοτέρμονες*) et accommodavisse glossis lexici cuiusdam Bachmanniano simillimi. Photium autem ipsum Timaeo usum esse apparet ex illius glossa *νώ· ἡμεῖς — — νωειν· οἱ τοῖς ξένοις ἡγούμενοι ὁδοί* (sic), quae errore coniuncta sunt e Timaei gl. *νώ*, *νῶϊν*, *ξεναγοί*. (Naber proleg. ad Phot. lexic. p. 113.)

Cap. VI. DE DIOGENIANI, BOETHI, DIONYSII, PAUSANIAE LEXICIS, SCHOLIORUM FONTIBUS.

Postquam iam permultas glossas e scholiorum colluvie seclusimus, nunc paullo facilius in ceteros fontes inquiri potest, qui praeter Timaeum scholiastae vocum interpretationes praebuerunt grammaticas. Restant autem multae Boetho vindicandae, plurimae deinde Diogenianeae; inveniuntur etiam nonnullae, quas ad Aelium Dionysium Halicarnassensem referas, perpaucae quae Pausanianis sunt persimiles; nec desunt quaedam, de quarum origine dubites.

De auctoribus quidem plurimarum glossarum satis certo constat, nec raro summa cum probabilitate singulas Boetho, Diogeniano, Atticistis restituere possumus. Verumtamen difficillima oritur quaestio, qua via ac ratione cuiusque auctoris glossae in scholia manaverint, i. e. utrum ex unoquoque illorum lexicographorum scholiasta hauserit ipso, an huius vel illius copias per aliquem alium cognoverit. Haec altera opinio Naberi est, qui omnes glossas grammaticas (exceptis gl. Timaei) ad Boethi lexica Platonica refert et illos inter Stoici fontes recenset (proleg.

ad Photii lexicon p. 62—65; cfr. 26, 27). Cum autem fieri nequeat, ut ubique Boethi et Diogeniani interpretationes discernamus, et cum in nostra disputatione Naberi opinionis, quam non probamus, ratio habenda sit, nobis non licebit de singulis his auctoribus separatim agere (id quod, quantum fieri potuit, hucusque persecuti sumus).

Namque si glossas grammatici argumenti, quae in scholiis extant, cum lexicis Hesychii, Photii, Suidae, aliorum contulerimus, statim concedemus, illas ex eisdem fontibus fluxisse quibus hi usi sunt. — Ac doctissimi quidem Suidae, Hesychii, Photii editores, qui praeter alios de his lexicis eorumque fontibus scripserunt atque magnam scholiorum cum istis convenientiam bene perspexerunt, alius aliter iudicaverunt: Bernhardyus ad quosdam Suidae locos adnotat scholia Platonica usurpata esse [1]), quamvis ipse (in praefat. vol. II. p. L) suspicetur Suidam scholiorum corpus sive flosculos in marginibus Platonis sparsos non invenisse nec dubitet quin scholiasta subsidia descripserit aliter digesta pluribusque testimoniis ornata quam quae Suidae praesto fuerint s. v. *τέως* et *φαῦλον*. Mauricius autem Schmidtius glossarum sat magnum numerum ex Diogeniano Hesychiove ipso fluxisse contendit (quaest. Hesych. p. XCI). Quae vero Naberi sententia fuerit, iam scimus. Hic igitur Photii editor cum Schmidtio consentit in eo, quod et ipse Diogeniani lexicon in usum vocatum esse eiusque glossas in scholiis inveniri statuit.

Diogeniani enim nomen quatuor hisce glossis adcriptum extat: schol. Lys. 206 D *ἑρμαῖα* (p. 293 H = 319 B) [2]); schol. Jon. 533 D *μαγνῆτις* (p. 328 H = 333 B); schol. Hipp. I. 301 B *διανεκῆ* (p. 326 H = 394 B); schol. Leg. 718 E *ἀνιδιτί* (p. 379 H = 451 B). At non solum has quatuor, sed permultas alias ex eodem fonte scholiasta hausit. Namque col-

---

[1]) Velut ad Suid. s. v. *ἐπιτωθάζων*.

[2]) Hanc glossam Clark. cod. M. S. solus tradit.

latis cum scholiis eis omnibus lexicographis [1]), qui illius glossario usi sunt, multo plures perspicitur explicationes Diogenianeas in scholiis inesse quam quae aliis auctoribus debeantur. Ac Schmidtius quidem 139 glossas enumerat (quaest. Hes. p. XCI seq.), quas Hesychianis sic similes esse dicit, ut vix discerni possit, utrum Diogeniano an Hesychio ipso scholiasta usus sit. Glossis vero quas ille affert e Bekkeriana scholiorum editione (cod. A B F Ξ) multae possunt addi, partim a Schmidtio neglectae, partim in aliis libris M. S. imprimis Veneto traditae; quanquam non omnes a viro illo doctissimo allatas Diogeniano adiudicandas esse puto. Nihil attinet eas ibi afferre et exhibere, quae ex huius lexico aut sine ulla dubitatione manaverunt aut fluxisse videntur. Multo vero pluris nostra interest cognoscere, num re vera Diogenianum ipsum scholiasta non inspexerit eiusque voces a Boetho acceperit omnes.

Insunt in scholiis complures glossae, quas aut certo aut probabiliter saltem Boetho, Platonis interpreti, abiudices, i. e. e Diogeniani lexico rhetorico receptas esse dicas. Ac primum nonnullas glossas afferam duplices, quarum alteras ab illo, alteras ab hoc lexicographo scholiastam mutuatum esse censeo. Photius vocem *συρφετός* interpretatur *ἀγυρτώδης ὄχλος ἢ λόγος ἢ* (*ἡ* addit Hermannus) *ἐξ ἀνέμου συλλεγομένη κόπρος καὶ φρυγανώδης*· eadem extant in schol. Gorg. 489 B. (p. 316 H = 351 B); altero autem loco scholiasta aliquem alium secutus

---

[1]) Hesychius totum Diogeniani lexicon recepit; et liceat cod. eius Marcianus misere dilaceratus sit, ne hodie quidem multa lemmata vocum Diogeniani in Hesychio desunt (Naber. proleg. ad Phot. p. 18; 20; 21); glossas Diogenianeas habet Photius (vide ibid. pag. 20 seq.); quintus Bekkeri lexicographus (M. Schmidt. quaest. Hes. LII; Naber. l. c. p. 173), lexicon Bachmanni = Anecd. Bachm. vol. I (M. Schmidt., ibid.; Naber, proleg. p. 127 seq.); vide etiam Hugo Weber. Untersuch. üb. d. Lex. d. Hesych. Philol. Supplbd. III pag. 469 et 594 seq.; Boysen. quaest. Harpocrat. p. 45.

haec exhibet (schol. Theaet. 152 C p. 238 H = 359 B): συρφετῷ] κονιορτῷ τῷ μετὰ κόπρων, οἱ δὲ κοιμὼν (χειμὼν Siebenk., recte; λοιμῶν cod. Paris. B, itemque Venetus t) καὶ συρμός (Venet. et Siebenk.: σύρμη) καὶ σύρφη φρύγανα. Quam glossam paullo emendatiorem Hesychius [1]) tradit: ὄχλος. ἢ κονιορτὸς μετὰ κόπρων. τινὲς δὲ χειμὼν καὶ συρμός. ἢ ἀκάθαρτος· idem cum deinceps afferat gl. σύρφη· φρύγανα, quae etiam a scholiasta addita est, hunc apparet lexico aliquo usum esse utramque glossam (et συρφετός et σύρφη) amplexo. Mihi quidem non dubium esse videtur, quin haec glossa (συρφετός), quippe congrua cum Hesychio, Diogenianea sit. Qua re potius alteram glossam (ad Gorg.), quam in Photio, qui imprimis Boethi lexicon exhausit, similem inveniri diximus, Stoico deberi nobis persuadeamus necesse est. — Aliud exemplum est στλεγγίς ad Charmid. 161 E (p. 289 H = 324 B) et Hipp. II. 368 C. In priore enim scholio στλεγγίς est: ξύστρα· τὸ πάλαι δὲ ἡ τοῦ καλάμου κόμη παρὰ Λάκωσιν, ᾗ ἀπεμάσσοντο· στλεγγίσματα δὲ τὰ περιξύσματα· κυρίως δὲ καλάμιναι ξύστραι. ὁ δὲ Θυατειρηνὸς στλεγγίδα μὲν τὴν ξύστραν, στλαγγίδα δὲ τὸ χρυσοῦν στεφάνιον. Pauciora quidem servavit Hesychius [1]) in glossa quae sequitur valde mutila: στλεγγίς· ξύστρα et in altera, quam deinceps affert: στλέγγισμα· ὁ ἀπὸ τῶν ἀποξυσμάτων γλοιός. discerpsit igitur glossam, quam tradit scholiasta, Diogenianeam in duas, quanquam ne sic quidem omnia exhibet, aut scholiasta iterum duas vicinas glossulas coniunxit [2]). In altero scholio (p. 327 H = 334 B) eadem explicatio occurrit atque apud Photium (cfr. Naberi notam ad loc.), sed a priore illa satis diversa et aliter comparata. Cui vero haec glossa rectius quam Boetho, cui illa probabilius redditur quam Diogeniano?

Multis locis πολλοῦ δεῖ, πολλοῦ δεῖς, πολλοῦ δέω for-

---

[1]) Cfr. M. Schmidt. quaest. Hesych. p. XCIII.

[2]) Confer supr. p. 43 de Hesych. gl. Κυδαθηναῖος.

mulae explicantur. Hesychius s. v. *πολλοῦ γε καὶ δεῖ* habet: *πολλὰ χρή· οὐδαμῶς*, quibus cum verbis glossae haece componantur: ad Charmid. 116 C (p. 291 H; deest ap. B) *πολλοῦ δεῖ] ἀντὶ τοῦ οὐδαμῶς*, et ad Phaedr. 264 A (p. 274 H = 318 B) *πολλοῦ δεῖν]οὐδαμῶς* in codicib. Veneto et Paris. B solis, cum ceteri, quos cognovimus, libri M. S. Ruhnkenii et Bekkeri afferant: *ὄντως λίαν ἐλλείπειν·* deinde ad Menon. 79 B (in schol. cod. M. S. Venet.) *πολλοῦ δεῖς] λείπῃ·* quarum extremae duae ad priorem explicationis Hesychianae partem accedere videntur (*πολλά χρή*, cfr. etiam schol. ad Protag. 341 D p. 297 H = 321 B). — Alias glossas Photius tradit: *πολλοῦ γε καὶ δεῖ· οὐδ' ὅλως* et: *πολλοῦ δὴ δέω καὶ λέγειν· σιωπῶ, πόῤῥω λίαν εἰμὶ τοῦ λέγειν, οὐ βούλομαι λέγειν* [1]). — Hanc alteram explicationem scholiasta recepit ad Theaet. 166 D (p. 242 H = 361 B) *πολλοῦ δέω] πόῤῥω λίαν εἰμί* (scil. *τοῦ λέγειν*), *οὐ βούλομαι λέγειν, σιωπῶ* et brevius ad Phaedr. 228 A (in cod. M. S. Venet.) *πολλοῦ γε δέω] πόῤῥω λίαν εἰμὶ τοῦ λέγειν*. Non dubito alteram quam attuli glossam Photianae simillimam Boetho, priorem Diogeniano reddere.

Duae glossae de *ἔμβραχυ* adverbio sunt in scholio ad Gorg. 457 A (p. 304 H = 342 B) in cod. M. S. Clark., altera a manu prima altera a secunda scriptae. Cum priore vero *ἔμβραχυ] ἐπιῤῥηματικῶς ἀκουστέον ἀντὶ τοῦ συντόμως ἢ ἁπλῶς ἢ καθάπαξ ἢ καθόλου* apte conferuntur Suid. (lexic. Bachm.) et Hesychius qui explicat: *ἐμβραχεῖ· μικρόν. ἢ καθόλου, ὅλως. συντόμως. ἁπλῶς.* Atque hoc quidem scholion ex lexico Diogeniani fluxisse mihi persuadeo, alterum autem, quod multo uberius extat ad Theag. 127 C (p. 288 H = 384 B), Hipp. II p. 365 D, Gorg. l. c., (ibi et ad Hipp. in schol. cod. M. S. Venet.), aliam originem habet et haud dubie Boetho debetur. — Difficilius iudicatu est de glossa *ἐπιεικῶς* ad Char-

---

[1]) Eadem Suidas; prior gl. etiam ap. auctorem lexici quinti Bekk. (Anecd. Gr. 284, 29).

mid. 153 C (p. 289 H = 323 B), quae eadem fere occurrit ad Crit. 43 A (pag. 229 H; deest ap. B), et in cod. M. S. Venet. repetita est ad Symp. 201 A et ad Theaet. 142 A.; alia autem legitur ad Remp. 431 E (p. 341 H = 403 B), quacum Suidas (Etym. Mg. 359, 36; confer Phot. in quaest. Amphil. 21. α. ιδ: Mai Scriptor. veter. nov. collect. I 231) prorsus convenit; cum priore scholio (ad Charmid.) velim conferas Hes. s. v. ἐπιεικῶς et ἐπιεικές· qui quamvis non accurate cum illo consentiat, tamen aeque ac scholiasta (ad Charmid. etc.) e Diogeniano hausisse videtur [1]). Utut autem scholia duo suo quodque auctori restituimus, duos saltem fontes usurpatos esse videmus, quos Boethum et Diogenianum fuisse non veri specie caret.

Praeterea monendum est, etiamsi multis locis Hesychius cum scholiis non accurate conveniat, non iam exinde licere colligere haec Diogeniano abiudicanda esse. Huius enim glossarum genuina forma saepe adeo male servata est in codice Marciano, ut si illius interpretationes alibi fidelius traditas cum scholiis conferamus, horum cum Diogeniano convenientia multo maior plerumque existat. Certo cognoscere licet Diogeniani vocis ἔτνος explanationem e scholio Greg. Naz. [2]): ἔτνος, εἶδος ὀσπρίου. οἱ μὲν κύαμον. οἱ δὲ τὸ καλούμενον πισσάριον. οἱ δὲ ἕψημα ἀθηρῶδες. τοῦτο γὰρ δασυνόμενον σημαίνει· ἀφ' οὗ καὶ ἀθήρα καὶ ἀθάρα, ἔνθεν καὶ ἐτνήρυσις παρὰ Ἀριστοφάνει· ἔτνος οὖν φησι τὸ ἐρειχθὲν καὶ συγκοπὲν καὶ ἑψηθὲν ὄσπριον ἀπὸ τοῦ ἐρείκω, τὸ σχίζω· οὕτω καὶ Διογενιανός. Ubi quae coniuncta proferuntur ea apud Hesychium Photiumque in complures glossulas discerpta sunt.

---

[1]) Conf. Bekk. Anecd. 243, 11; et Suid. s. v. ἐπιεικές. Hesychii gl. fortasse consuta est. Vide Schmidtii adnot. ad Hesych. — Nota tamen in gl. ad Crit. 43 A (p. 229 H) et in scholio cod. M. S. Venet. ad Charmid. l. c. verba παρὰ Πλάτωνι.

[2]) Vide M. Schmidt quaest. Hesych. p. LXXXIX.

Hic enim *ἔτνος* dicit esse *εἶδος ὀσπρίου* · deinde: *ἔτνα* · *τῶν ὀσπρίων τὸν χυλόν* · postea: *ἔτνος* · *ἕψημα*, cui addit: *ἐτνήρυσιν, λέγουσι δὲ καὶ ζωμήρυσιν. Ἀριστοφάνης Ἀχαρνεῦσιν, ὦ μῆτερ κ. τ. λ.*, quibus in glossis illud *πισσάριον*, quod uterque scholiasta praebet, non comparet. — Item Diogeniani glossa servari videtur in schol. ad Theriac. Nic. [1]) v. 386, p. 77. Edit. Schneider. (1816): *σμινύοιο*] *σιδήρεόν τι κατὰ μὲν τὸ ἕτερον δικέλλης, ὀδόντι παραπλήσιον, κατὰ δὲ τὸ ἄλλο ἀξίνης, ᾧ σκάπτουσι καὶ ὕλα κλῶσιν.* Perpauca habet Hesychius s. v. *σμ.* · *σκαφίδιον, δίκελλαν*, qua re nulla fere convenientia inter hunc et scholiastam invenitur ad Remp. 370 D (p. 336 H = 399 B): *σμινύην*] *σκαφίον, τινὲς δὲ ἀξίνην, ἐκ τοῦ ἑτέρου μέρους δικελλοειδῆ* [2]). — Ac si ea, quae Photius de quibusdam vocabulis affert, magis interdum cum scholiis conspirant quam haec cum Hesychio, non iam ob hunc maiorem cum illo consensum Diogeniani glossae in scholia per Boethum fluxisse putandae sunt. Patriarcha enim haud raro vel eadem tradit atque scholiasta, velut

s. v. *σκυτοτόμος* · *σκυτεύς, λωροτόμος*, et

» » *σκυτοδέψης* · *δερματομαλάκτης* · *καὶ βυρσοδέψης*, quae eisdem verbis leguntur in schol. ad Gorg. 517 E (p. 323 H = 357 B); Hesychius, qui ab utroque paullo differt:

σκυτοτόμος · *λωροτόμος. σκυτεύς* · *σκηνοῤῥάφος* (Schow. pro *σκηροράφος*) et *σκυτοδέψης* · *δερματομαλάκτης*,

genuinam glossarum formam certe non servavit, id quod concludi

---

[1]) De glossis Diogenianeis in haec scholia receptis vide M. Schmidt. quaest. Hesych. XCVII.

[2]) Phot. *σμινύην* · *σκαφίον ἢ δίκελλαν ἢ ἀξίνην* (*σκαφίον* omittit Timaeus). Eustath. (ad Hom. 217, 27) *ἐν ῥητορικοῖς λεξικοῖς* s. lit. *ζ* invenit: *ζμινύη, ὅτὲ τὸ σκαφίον, ὅτὲ ἀξινάριον, οἱ δὲ δίκελλαν* · quae glossa, cum Eustath. postea Dionysium laudet, Pausaniae esse videtur. Utrum hunc, an Timaeum, an alium sequatur Photius, non liquet.

potest e lexico Cyrilli, ubi legitur: *σκυτοδέψης· δερμα το(μα)λάκτης· καὶ βυρσοδέψης* [1]). At ne Photium quidem in hac voce a Boetho pendere ex lemmate gl. *σκυτοδέψης* (Platon. cod. M. S. exhibent *σκυτόδεψος*) colligo. Alias sat multas huius generis glossas praetereo.

Aliud autem argumentum, quo demonstrem in scholiis inesse glossas Diogeniani non e Boethi lexicis receptas, sumam ex Homericarum vocum explicationibus, quas Apollonius [2]) suppeditavit Diogeniano, a quo mutuatus est scholiasta. In scholio ad Hipparch. 229 A (pag. 285 H = 334 B) est *στεῖχε*] *ἴθι, πορεύου*. Eadem Hesychius affert; et Apollon. 144, 33 Bekk.: *στείχειν, πορεύεσθαι* aeque ac Photius, qui praeterea *στείχοντες· πορευόμενοι* interpretatur (vide Naberi indicem gloss. Homeric., Photii lexico additum). — *Ὅμαδον*] *συναγωγὴν ἢ θόρυβον, ἀπὸ τοῦ ὁμοῦ αὐδᾶν* legimus ad Remp. 364 E (p. 335 H = 398 B); Apollonius 120, 18: *ὅμαδος· θόρυβος παρὰ τὸ ὁμοῦ αὐδᾶν*. Hesychius: *ὅμ. ἄθροισις. θόρυβος. ὄχλος. τάραχος. στρατός. ἀπὸ τοῦ ὁμοῦ*. Photius: *ὅμ. θόρυβος, ἀπὸ τοῦ ὁμοῦ αὐδᾶν* (quam glossam Naberus Homericam ipse censet esse). Confer etiam *ὤπυιεν* ad Cratyl. 402 C (p. 236 H = 370 B); multo plura quam Hesychius Apollonius tradit s. v. *ὀπύειν* 122, 9. Qui etiam s. v. *παιήωνα* 126, 7 satis convenit, ita tamen, ut priorem tantum scholii partem exhibeat, quam Hesychii cod. M. S. contractam et cum aliis interpretamentis coniunctam affert: *παιάναι· οἱ τοὺς παιᾶνας ᾄδοντες. ἢ ᾠδή, ἐπὶ ἀπαλλαγῇ κακῶν, ἢ αἰσχροῦ τινος*. Quod ad alteram glossae partem attinet, suspicari licet in Diogeniani lexico

---

[1]) Hanc glossam affert Schmidt. Edit. Hesych. IV¹ p. 388; de Cyrillis vide quaest. Hesych. pag. CXXXIX seq.; Hugo Web. Philol. Suppl. III p. 602.

[2]) De Apollonii lexico, Diogenianei fonte, vide M. Schmidt. quaest. Hesych. p. CVI; Hugo Weber. Philol. Suppl. vol. III p. 580.

Apollonii glossam primitus pleniorem extitisse, aut cum illa aliam Diogenianeam a scholiasta consutam esse (cfr. apud Hes. *παιᾶνας· κώμους. εὐφημίας, ᾠδάς, ὕμνους εἰς θεόν·* et in Anecd. Bkk. 295, 33). — Sunt vero multae aliae ad Homerum spectantes, quas e Diogeniano scholiasta sumpsisse putandus est; velut *κατὰ τὸ στόμα* ad Leg. 855 D (p. 383 H = 455 B) explicatur *κατὰ τὴν ἀρχήν, μεταφορικῶς* (Apoll. omittit). Eandem hanc glossam Hesychii et Suidae, qui conveniunt, editores ad Hom. Il. O. 389 recte referunt, Naberus autem ad Photium, qui eadem tradit, Platonicam (i. e. Boethi) eam esse adnotat. At M. Schmidtii et Bernhardyi opinioni favet non solum nostrae glossae cum scholio ad Homerum convenientia, sed etiam perversa et loco Platonico parum apta interpretatio [1]). Confer praeterea *ἀκεῖσθαι* schol. ad Remp. 364 C (pag. 335 H = 398 B), Hes. s. v. *ἀκέεσθαι*, Cyrill. Vindob. in Hes. Edit. M. Schmidt. IV[1] pag. 359, Apollon.; *προτροπάδην* ad Sympos. 221 C (p. 261 H = 378 B) et Phot. Hes. s. v.; *ἦ* schol. ad Phaedr. 262 A (p. 273 H = 318 B), ad Remp. 453 E (p. 342 H = 404 B), Sisyph. 387 D (p. 392 H = 466 B), et Hes. Apollon. s. ead. voce.

Quibus locis glossam addo Hesiodeam, quam scholiasta non accepit nisi a Diogeniano: in IX libr. de Rep. 607 B Plato *καὶ γὰρ ἡ λακέρυζα πρὸς δεσπόταν*, inquit, *κύων ἐκείνη κραυγάζουσα κ. τ. λ.*, quae verba editoribus Turic. e poetis nunc ignotis sumpta esse visa sunt. Hunc Platonis locum nec Photius (s. v. *λακέρυζα κορώνη· ἡ μεγάλα κράζουσα*) neque Hesychius (s. voce *λακέρυζα· κράκτρια. λοίδορος. φλύαρος. μεγάλα κράζουσα κορώνη. ἢ λάλος·* duae glossae coaluisse videntur) respexerunt, sed ille certe (fortasse uterque) verborum Hesiodi rationem habet (*Ἔργ. κ. ἡμ.* v. 745): *Μηδὲ*

---

1) Astius in adnot. ad loc. cit.: „*κατὰ στόμα* est in fronte hoc est: ex adverso, e regione, sive coram; *στόμα* est enim facies etc.“

δόμον ποιῶν ἀπεπίξεστον καταλείπειν, Μήτοι ἐφεζομένη κρώζῃ λακέρυζα κορώνη [1]).

Ad eandem sententiam stabiliendam aliud glossarum Diogeniani genus afferri potest, unde simul pateat, qua ratione illius lexico scholiasta usus sit. Namque lexicographus utrum ubique easdem verborum formas, quas scriptores adhibuerant, retinuerit necne, non satis constat; ac viri docti alii affirmant, alii negant [2]). Scholiasta enim verborum terminos, quos apud Diogenianum invenit, aliis fortasse auctoribus illustrandis destinatos, mutat mutatosque Platonis locis apponit, velut schol. ad Gorg. 482 C (p. 314 H = 349 B) legitur hoc: *νεανιεύεσθαι*] *μέγα φρονεῖν, κομπάζειν.* Hesychius autem (i. e. Diog.) *νεανιεύεται* (formam a Platone nusquam adhibitam) interpretatur: *νέου ἔργα πράττει. ἢ καυχᾶται, ἢ μεγαλοφρονεῖ ἐπὶ ἀνδρείᾳ, κομπάζει κενῶς, ἢ τολμᾷ*, qua glossa multo exilior est Photiana: *νεανιεύεται· νέου ἔργα ποιεῖ* (ead. Suid.; cfr. Anecd. Bekk. 282, 9). Ibi ergo neuter lexicographus Platonem respicit, atque glossam affert uterque, Diogeniano, non Boetho, adiudicandam. — Ad Clitophont. 410 B (p. 331 H = 395 B) legimus: *λιπαρῶν*] *παρακαλῶν, προσεδρεύων. Λιπαρεῖ* autem, quod Photius similiter explicat: *παρακαλεῖ*, in Platonis dialogis non comparet; paullo magis cum scholio Hesychius convenit: *λιπαρῶ· παρακαλῶ.* — Alia glossa, quam scholiasta, Photius, alii Diogeniano acceptam referunt, est ad Axioch. 365 A (p. 395 H = 464 B) *συνειλεγμένον τὰς ἀφάς*] *συνηγμένον τὰς πληγάς·* quae verba haud dubie conglutinata sunt e duobus locis, apud Hesychium, Suid. lex. Bachm. divisis: *συνειλεγμένα· συνηγμένα* (sic Phot. Suid. lex.

---

[1]) Conferre iuvat cum Hesychianis glossas Photii *λακερύζεσθαι, Λακεδαῖμον, λακέρυζα κορώνη, λακεῖν* eodem fere ordine decurrentes similiterque comparatas atque illius s. eisd. vocib.; qua re non inviti concedemus has omnes eidem auctori, i. e. Diogeniano, deberi.

[2]) Vide M. Schmidt. Jahn. Annal. 1865, p. 752 seq.

Bachm.; Hes. addit *συνηθροισμένα*) et: *ἁφαῖς· πληγαῖς* (ap. Hes. Suid. lex. Bachm. 169, 7 vel Anecd. Bekk. 468, 22). Cum vero Plato neque *ἁφαῖς* neque *συνειλεγμένα* unquam dixerit, nescio quo iure Naberus cum alias, tum hanc Photii glossam inter Platonicas recenseat[1]. — Et sic sexcenties.

Verumtamen etiam ea, quibus Naberi sententia probari videtur, non praetereunda sunt. Inveniuntur enim glossae breviores quae quamvis ob magnum cum Hesychianis consensum Diogenianeae esse iudicandae sint, nihilo minus, si praeter explicationes lemmata quoque glossarum respicimus, propius accedant quam ad Hesychium ad alios, velut Photium, Suidam, lexicon Bachm., in quibus Boethi glossae Platonicae insunt: *γεγανωμένος* forma, quae legitur in Rep. 411 A, a scholiasta item atque a Suida et in lexico Bachm. explicatur *λελαμπρυσμένος*, cum Hesychius non interpretetur nisi *γεγανωμένη* (formam a Platone alienam). Ibi ergo Boethus Diogenianum (*γεγανωμένη*) secutus Platonis loci ratione habita (*γεγανωμένος*) mutavisse dici possit. Sunt vero etiam alia eiusdem generis, velut *γάνυσθαι* in scholio ad Phaedr. 234 D (p. 266 H = 312 B) et apud Suidam; Hesychius, qui hunc infinitivum a philosopho solum adhibitum non explicat, de formis *γανύσεται* et *γάνυται* loquitur (has Diogeniani glossas lexicographus quoque Bekkeri quintus servat 230, 7 et 9). — *Παιδικῆς* scholiasta ad Epin. 974 A (p. 390 H = 460 B) (ubi significatio «puerilis» quadrat) male suspicatur idem esse atque *ἱλαρᾶς*, et addit *ἐξ οὗ καὶ παιδικώτερον τὸ ἱλαρώτερον*. Unde priora sumpserit, non latet; nam glossulam, qualem Photius, lexicographus Bachmanni, Suidas praebent: *παιδικώτερον· ἱλαρώτερον* sine ulla

---

[1]) Item duas Diogeniani glossulas scholiasta composuisse manifestus est ad Jon. 538 C (p. 328 H = 333 B) *κνῆ τυρὸν κνήστει*] *ἔκοπτε τυρὸν κοπίδι*. Nam Hes.: *κνῆ* (cod. *κνεῖ*)· *κόπτει* (plura ap. Suid.) et: *κνῆστις· κοπὶς σιδηρᾶ κ. τ. λ.* (cfr. Apollon. 101, 5. Bekk., Suid.; Phot. omittit.). Schmidtius et Bernh. glossam referunt ad Homerum (*Λ*. 638).

dubitatione ante oculos habuit. Taliane igitur censebimus Boetho vindicanda esse? At prorsus dissimile veri est istius modi quisquilias in Stoici, elegantissimi Platonis interpretis, lexicis infuisse exindeque in illas συναγωγάς et in scholia transiisse. Photius nempe de παιδικῆς vel παιδικός adiectivo ibi interpretando nihil prodit; illud enim apud Platonem comparet, qui comparativo nusquam usus est; et ne tum quidem, si eo usus esset, liceret suspicari Boethum talia scripsisse. Cui vero illa glossa recte tribuatur, non satis liquet, quoniam Hesychius similia non tradit.

In glossis his brevissimis, quales Diogenianeae esse solent quasque Naberus omnes in Boethi lexica et inde in scholia fluxisse contendit, Platonis dialogorum nunquam ratio habetur, sicut in explicationibus quas magna cum verosimilitudine ad Stoicum referre possumus. Sed quamvis nobis persuasum sit scholiastam multas Diogeniani glossas exhibere, non e Boethi lexicis receptas, tamen fieri nequit, ut demonstremus, ex illo ipso omnes Diogenianeas, quae in scholiis inveniuntur, in haec manavisse. Nam potuit sane scholiasta ipse Diogeniani quidem lexicon usurpare et tamen eiusdem interpretationes per Boethum quoque accipere. Quod si concedimus, quid tandem Stoicus in huiuscemodi vocabulis explicandis praestitit? Permultis certe locis nihil antiquius habuisse censendus esset, quam ut exiles saepe glossulas ad verbum transcriberet Platonis verbis plerumque nec respectis neque additis, et ut lemmata verborum locis qui illustrandi fuissent interdum adaptaret. Ne ullam quidem glossam invenio in scholiis Diogenianeam, quae certis argumentis probetur e Boethi lexicis transiisse in scholiorum farraginem. Quod autem ad γεγανωμένος et similia attinet, his glossa μέρμερος opponi potest, in qua Photius [1]) paullo minus quam Hesychius

[1]) Naberus ipse (ad Phot. vol. II p. 305) hanc gl. Homericam esse censet.

convenit; scholiasta enim ad Hipp. I 290 E (p. 326 H = 393 B) explicat: *φροντίδος ἄξιος, ἢ χαλεπός*. Hesychius et Photius simillima ad eundem certe auctorem referenda tradunt; ille tamen *μέρμερα* interpretatur *χαλεπά, δεινά, φροντίδος ἄξια*, hic et ipse *μέρμερα*, non *μέρμερος*, quod unicum Platonis est, exponit: *μερίμνης ἄξια, χαλεπά.*

At ne Naberus quidem sibi potuit persuadere Boethum, quippe cui Pamphili uberrimos libros inspiciendi copia fuisset, exiguas Diogeniani glossas ipsum usurpavisse, sed hunc cognovisse per Dionysium Halicarnassensem (vide proleg. ad Phot. lexic. p. 63 et 64). «Absurdum est,» inquit V. D. (p. 65), «credere Boethum inspexisse Diogenianum, dum Pamphilum [1]) vel alium grammaticum non minus locupletem evolveret. At Dionysium aliquoties cum fructu consulere poterat, nam praecipue in Platone et Thucydide interpretandis hic quaedam scitu digna et vera primus et solus adnotarat. Hinc fieri potuit ut aliquando (?) inspecto Dionysio simul transscriberet, quae hic Diogeniano deberet.» Idem vir doctus etiam Diogeniani apud Photium glossas e Dionysii lexicis rhetoricis manavisse putavit (proleg. p. 25—27) [2]). Ibi quidem unde Photius Diogeniani glossas acceperit, nostra minus scire interest, quam rivulos cognoscere, per quos in scholia glossa quaeque fluxerit. Si tamen illa quaestio iam persoluta esset, et accurate demonstrari posset Diogenianum pendere a Dionysio et Pausania (sic Boys.

---

[1]) E Pamphilo Diogeniani lexicon excerptum est; alii hunc usum esse statuunt Vestino, Pamphili thesauri epitomatore (M. Schmidt. quaest. Hes. pag. LX. seq., M H E Meier opusc. Acad. II pag. 46 seq., Naber. proleg. ad Phot. lex. p. 18 seq.).

[2]) Utrum Diogenianum Dionysius (et Pausanias) sequatur, an hunc ille expilaverit, effici nequit. Alii aliter iudicant; cfr. praeter Naber. l. c.: Hugo Weber Philol. Suppl. vol. III p. 550; Boysen. quaest. Harpocrat. Kiel 1877 p. 61; 62; (cfr. Schwartz. fragm. Dionys. Halic. collect. praefat. extr.); Stojentin. Fleckeis. Annal. vol. 119 pag. 122 seq. (1879).

quaest. Harpocr. pag. 61—65) Naberi opinio, ex qua Diogeniani glossae a Dionysio iam receptae in Boethi lexica et ex his in scholia transierint, per se ipsa labefieret. — Quam si probamus, et Nabero concedimus Boethum inspecto Dionysio simul glossas Diogenianeas transcripsisse, necesse est statuamus scholiastam vel potius Boethum e Diogeniani lexico nihil accepisse, nisi quae ab hoc Dionysius mutuatus esset. Cui sententia glossa obstat, quae in scholio ad Jon. 533 D (pag. 328 H = 333 B) de voce *μαγνῆτις* legitur: *Διογενιανὸς δὲ μαγνῆτιν μὲν πλανᾶν λέγει τὴν ὄψιν λίθον, ὡς εἴη ἀργύρῳ ἐμφερής, τὴν δὲ Ἡρακλεῶτιν ἐπισπᾶσθαι τὸν σίδηρον.* Hesychius plane convenit. Dionysius vero (apud Eustath. ad Homer. 338, 27) sic explanat: (*φησὶ γοῦν Αἴλιος Διονύσιος οὕτω·*) *Ἡρακλεία, ἡ καὶ Μαγνησία· δεκαοκτὼ δὲ πόλεις Ἡρακλεία ἐξ ὧν μία Λυδίας, ὅθεν ὁ Ἡρακλεώτης λίθος ὁ ὑφ' ἡμῶν λεγόμενος μάγνης, ὁ ἐπισπώμενος τὸν σίδηρον* [1]). Distinxit igitur ille inter *μαγνῆτιν λίθον* et *Ἡρακλεῶτιν*, Dionysius autem nihil interesse dixit. Nec suspicari licet apud patriarcham [2]) Eustathiumque Dionysii glossam non extare nisi excerptam ac contractam, nam et ille et hic plane eadem tradunt; qua re necesse est Naberus concedat alia via Diogeniani explicationes in scholia relatas esse. Qua ergo glossa V. D. (qui Hes. s. v. *μαγνῆτις* ne inspexit quidem, quoniam in huius lexico hanc interpretationem deesse dicit p. 64 proleg.) utitur ad opinionem suam confirmandam, eandam adhibere possumus ad eam evertendam. Rectius idem V. D. statuisse videtur Hesychii et Photii glossas s. voc. *Ἡρακλείαν λίθον* (Phot.) et *Ἡρακλεία λίθος* (Hesych.) ad Boethum referendas esse. Sicut Diogenianus (s. v. *μαγνῆτις* ap. Hes. et

---

[1]) Vide Aelii Dionys. Halicarn. reliq. colleg. et edid. C. Th. Ph. Schwartz. Traiecti ad Rhen. 1877 p. 64.

[2]) Photius. s. v. *Ἡρακλεώτης λίθος* exhibet: *ὁ ὑφ' ἡμῶν μάγνης, ὁ ἐπισπώμενος τὸν σίδηρον. Ἡρακλεία γὰρ ἐλέγετο ἡ Μαγνησία.*

scholiast.), ita Hesychius s. v. Ἡρακλ. λίθ. eos vituperat, qui alterum ab altero genere non diversum esse putaverunt: Ἡρ. λίθος, ἣν ἔνιοι μαγνῆτιν λέγουσιν· οὐκ ὀρθῶς [1])... deinde uterque eandem differentiam affert et Hesychius insuper Platoni vitio vertit, quod hic altero loco permisceat, quamvis altero bene probeque distinxerit (vide Tim. Plat. 80 C). Unde apparet Diogenianum et Boethum (ap. Hes. et Phot.) eodem fonte (Pamphilo) usos esse.

Itaque nobis persuasum habemus Diogeniani lexicon re vera a scholiasta ipso in usum vocatum esse. Si quis vero quaerit, quemadmodum hic rem suam administraverit et in singulis dialogis illustrandis illius copiis usus sit, perpauca tantum afferam: Si commentarii Neoplatonicorum ei praesto erant, multo rarius illum lexicographum aliosque auctores consuluit, velut ad Timaeum, Gorgiam, Alcibiadem; sed ne eiusdem quidem dialogi libris (velut de Rep. et Legib.) glossae Diogenianeae similiter adiectae sunt; nam eo pauciores huic debentur, quo plures adnotationes e philosophorum commentariis fluxerunt (vide nos supra p. 32/3 et p. 27); multae inveniuntur ad Lys. Hipp. II. Remp. Leg. Axioch. Sympos. Theaet. — Ad eundem dialogum non solum Diogenianum, sed etiam Boethum scholiasta inspexit, cuius rei exemplum prae aliis memorabile est in scholiis ad Hipp. II 368 C. Glossa enim λήκυθος (pag. 327 H = 334 B) Boetho probabiliter redditur; cuius explanationem cum scholiasta propter vocabulum φασκώλιον ibi adhibitum non satis intellexisset, Diogenianum ipsum de eo consuluit eiusque explica-

---

[1]) Illud οὐκ ὀρθῶς vituperantis est et nos ad Alexandrinos relegat. cfr. p. 77. not. 1. Quominus autem Diogeniani lexicon ibi a Boetho adhibitum esse putemus, impedimur primum eo, quod Hesychius s. v. μαγνῆτις cum scholio convenit, deinde eo, quod Boethi glossa (apud Phot. et Hes.) multo uberior est quam Diogenianea, denique eis causis omnibus, quas iam supra de hac re attulimus.

tionem transcripsit: Nam quae in glossa leguntur ..*φασκωλίων*.. *ἅ ἐστιν κ. τ. λ.*, ea plane cum Hesychio conspirant; coniunxit simul aliam glossam *φάσκωλος* cum *φασκωλίων* interpretatione [1]). De his certe vocabulis Boethus nihil exposuerat nec potuit disserere. — De notis *ὡς νῦν*, *ὡς ἐνταῦθα*, quas scholiasta haud raro glossis addidit inseruitve, infra agemus.

Cap. VII. DE BOETHI LEXICIS PLATONICIS, A SCHOLIASTA USURPATIS.

Boethum duo lexica Platonica composuisse Photius tradit (Biblioth. cod. Nr. 154 et 155 = p. 100ᵃ 14 Bkk.); alterum nempe *πολλῷ τῆς Τιμαίου συναγωγῆς χρησιμώτερον* nuncupat et pergit: *ὧν εἴ τις τὰς λέξεις εἰς ἓν συναγάγοι συνεντάσσων καὶ τὰς συνηγμένας Τιμαίῳ, ἀπηρτισμένην τὴν ὠφέλειαν παράσχοι τοῖς τὰ Πλάτωνος ἀναγινώσκειν ἐθέλουσιν.* Jam Ruhnkenius in nota ad Timaeum s. v. *περιαγειρόμενοι* Photium primus, quem sciam, suspicatus est s. eadem v. a Boetho pendere (vide Ruhnk. etiam ad *πέλανος* ibid.). Hanc autem suspicionem verissimam esse Cobetus (Mnemos. vol. IX p. 399 seq.) et Naberus (proleg. ad Phot. p. 55 seq.) demonstravere. Qui V. D. glossas apud Patriarcham Platonicas plerasque Boetho tribuendas esse ex eis verbis quae attuli Photii recte con-

---

[1]) Item supra iudicavi de voce *τέναγος* et *τεναγώδης* (p. 9); cfr. p. 14. Alia quoque scholia ad Hipp. II bene conveniunt cum Hesychio, imprimis schol. *καταβολή* (vel *κατηβολή*), quod Steph. Thesauri Editores (s. v. *κατηβ.*) e lexico Hesychiano receptum esse putaverunt; (vide supra p. 47 de voce *Πνύξ* allatam Cobeti opinionem); Naberus autem gl. *κατηβ.* Photii, scholiastae, Hesychii ad Boethum refert. Utrum Boethi, an Diogeniani sit, non satis liquet; vix licet etiam Hesychii lexicon inter scholiorum fontes numerare; quanquam etiam alia genera glossarum iam ostendimus e compluribus auctoribus hausta esse neque uni tantum referri accepta.

cluserunt. Hic enim, quanti Boethi libros aestimaverit, ipse nos docet. Accedit, quod vel exiguam Timaei *συναγωγὴν* in lexicon suum rhetoricum recepit, ac similiter Pausaniae et Dionysii lexica usurpavit ipse, quae dixerat in unum congesta utilissima fore eis, qui scriptoribus Atticis operam navare vellent. — Nusquam autem Boethi mentio fit, nisi in una tantum glossa Hesychii *διὰ πάντων κριτής* et in alia *ἦ δ' ὅς*, quae legitur in opusculo *Διδύμου περὶ τῶν ἀπορουμένων παρὰ Πλάτωνι λέξεων* inscripto (Miller: Mélanges.. p. 399 seq.) et quae illorum virorum opinioni favet; nam similem Photius tradit s. eadem v. Antequam vero de Boethi apud scholiastam glossis disseramus, de hac Didymi *συναγωγῇ* quaedam commemoranda sunt.

Didymi libellum Millerus ad Chalcenterum refert (Mélang. pag. 385); Nauckius autem (Mélanges Gréco-Rom. vol. III pag. 156 seq.) opusculum, tanquam docto illo grammatico indignum, ad Boethum, qui *σπουδασμάτιον* scripsit *περὶ τῶν παρὰ Πλάτωνι ἀπορουμένων λέξεων* (ut ait Photius l. c.) transtulit; Nicolaius denique (Gr. Lit.-Gesch. Edit. alt. vol. II p. 640) Didymo Areio attribuit. Ac primum quidem Nauckio contra Millerum concedendum est Boethum in prima glossa citatum non diversum esse ab eo, quem Photius dicit voces Platonicas collegisse. Nec minus eidem V. D. assentior statuenti Chalcenterum opusculi auctorem non fuisse; quanquam compertum habemus hunc complures libros *ἀπορουμένων λέξεων* scripsisse [1]), et in fine libelli ipsius legimus: *περὶ δὲ τῶν ἄλλων* (i. e. non solum Platonis, sed etiam ceterorum scriptorum), *ὧν χρὴ παραδίδοσθαι τῆς ἀναγνώσεως, ἑξῆς ὑπομνηματισάμενος ἀναδώσω κ. τ. λ.* [2]). Attamen hanc glossarum

---

[1]) Vide Harpocrat. s. v. *δερμηστής* et M. Schmidt. Did. Chalc. frgm. p. 20.

[2]) Contra Did. Chalcent. afferri potest explicatió formulae *ἐπὶ κόῤῥης*, de qua agitur pag. 400 (Mélang.) et quam Harpocratio s. v. aeque enarrat. Qui si s. v. *ἄλλοι μέν* et *βέλτιον δέ* Chalcenteri ipsius

collectionem ne Boethi quidem esse puto, Nauckii sententia improbata. Insunt quidem nonnullae explicationes Photianis similes ἦ δ' ὅς, θαμά, θαμίζειν, κάκη, μεταποιεῖσθαι, κατόπιν, θράττειν (de qua voce vide Phot. etiam in quaest. Amphil. edid. Mai in nov. collect. vol. I p. 231; quaest. 21 α. ιβ'), ἄδην, δυσωπεῖσθαι (Phot. libr. cit. p. 231; quaest. 21 α. ις', cfr. Suid.). E glossis vero duplicibus, quas Naberus utrique Boethi lexico attribuit (proleg. p. 55 seq.) λίσπας, πελάται, ὑηνῶν, ὑμνεῖν et ὑμνούντων, ὀκρίβας (?), τρίτος κρατήρ, κάκη, ἦ δ' ὅς nulla fere comparet; κάκη non prorsus item explicatur; deinde aliter comparatae sunt gl. περιαγειρόμενοι, κερασβόλον Mill. p. 403 et 404), κατάλυμα (p. 406), aliae. Cum autem primae glossae aptissime adiectum esse videamus ὥς φησι Βοηθός, quid est quod auctori fidem derogemus? Nonne a Stoico nonnullas glossas mutuari eisque alias aliunde arreptas addere potuit? Qua cum opinione nostra bene conveniunt ea, quae extremo Didymi libello traduntur: τὴν δ' ἐξήγησιν ἀπέδραμον τῶν λεξιδίων ὡς ἐφάνη μοι κατὰ τὸ πρόχειρον καὶ πιθανὸν καὶ συνεκφαινόμενον ἐκ τῶν συμφραζομένων, ἀκολουθήσας τῶν καθηγητῶν (Boethus erat ipse καθηγητής, auctor autem huius συναγωγῆς interpretem se non esse fatetur) ταῖς ὑφηγήσεσιν ... Boethi igitur et aliorum copias usurpavisse censendus est. Est etiam valde dubium, num hic Stoicus, qui Pamphilum satis certo creditur adiisse, sic locuturus fuerit. Deinde non praetereundum est nec nullius momenti esse debet, quod Didymi opusculum tempore multo posteriore potissimum adhibitum est: ἐπιώψατο (Mill. p. 400;

---

opinionem exhibet (cfr. οὐκ ἔστι δέ et simil. apud M. Schmidt. D. Chalc. frgm. p. 54, 65, 303; nos supra p. 83. 1), glossa apud Mill. (οἱ δὲ τὸ ἐπὶ κόῤῥης — —) non e grammatici celeberr. Alexandr. opusculis hausta esse potest; χαμεύνιον a Chalcentero aliter explicatur in schol. Aristoph. av. 816 = Schmidt. Did. frgm. p. 253; Miller Mélang. p. 402; κραββάτιον Didymus Alexandr. vix scripsit.

Etym. 362, 38; Suid. c. not. Bernh.), *σκολύθριον* (Mill. p. 402; Etym. 718, 40), *σταθερόν* (Mill. ibid.; Etym. 724, 42), *χαμεύνιον* (Mill. ibid.; Etym. 806, 28), *ἀμφιδρόμια* (Mill. ibid.; Etym. 89, 55), *κουρεῶτις* (Mill. 403; Etym. 533, 42), *δευσοποιόν* (Mill. ibid.; Etym. 259, 12), *ἐνδίκως* (Mill. 404; Etym. 339, 4); *κερασβόλον* (Mill. ibid.; Etym. 505, 20), *τορύνη* (Mill. 405; Etym. 762, 34); haec pleraque in Etym. Gud. desunt; nec non Thomas Magister et Favorinus complures gl. descripserunt. — Quam autem Nicolaius de Didymo Areio affert coniecturam tanquam huius lexici auctore, eam iam temporum ratio refutat; fallitur enim cum eum vixisse statuit post Marcum imperatorem, i. e. paullo post Boethum Stoicum; immo aequalis erat Augusti Octaviani eiusque amicus [1]). Neque ullum cognovi Didymum, Boetho recentiorem, ad quem libellum illum certo referam.

Itaque ad Boethum ipsum, scholiorum fontem, revertamur. Quoniam nobis persuasum est illius glossas in lexicon Photianum manavisse, demonstremus necesse est, quemadmodum e scholiorum farragine illius copias recuperemus.

Photius haud raro vocum, quibus Plato usus est, interpretationes uberrimas exhibet allatis quidem philosophi dialogis et verbis, celato autem scriptoris nomine, velut s. v. *ὀρτυγοκόπος.. λέγει οὖν* (scil. *Πλάτων*) «*ἐν 'Αλκιβιάδῃ*», et s. v. *πλημμελεῖν* citat «*Λύσις*» et «*Νόμων θ'*», in gl. *μάσμα* Cratylum commemorat, s. v. *ὑμνεῖν* nos relegat ad Rempublicam «*ὡς ἐν α' Πολιτείας*» (scil. p. 329 B. Steph. Edit.); ubi scholiasta (p. 332 H = 395 B) his verbis recte omissis convenit; s. v. *τευτάζειν* testimonio utitur Platonis Comici, deinde «*καὶ ἐν Τιμαίῳ*» «Philosophum laudat, cuius ibidem post Teleclidem iterum mentionem facit «*Πολιτείας ζ*». Cum

---

[1]) Vide Hermann. Diels Doxograph. Graec. Berol. 1879 p. 80 seq.; et p. 86. — Didymos complures recenset Suidas; vide M. Schmidt. frgm. Didym. Chalc. p. 349; alibi.

hac glossa conferendum est schol. ad Phileb. 56 E (p. 255 H = 383 B), unde scholiastae excerpendi rationem simul satis perspicere possumus: hic enim e Boetho, qui Platonis in Philebo verba non respexit, omnia interpretamenta ascripsit ne ordine quidem vocabulorum mutato [1]. Sicut supra commemoravimus ad λέγει in Photii gl. ὀρτυγοκόπος Platonis nomen supplendum esse, ita huius interpres apud Photium s. v. κερασβόλα omittere potuit verbi (ὅταν οὖν) λέγῃ subiectum; cfr. eandem gl. apud Miller. p. 404: τοὺς τῦν ἀπειθεῖς — — κερασβόλους προσηγόρευε (vide scholion ad Leg. 853 D p. 383 H = 454 B); neque aliter iudicandum est de glossis φιτῦσαι (vide Naberi adnot.) et ἄδην s. v.; et aliis (cfr. nos infra p. 100 et p. 105/6). — Si has et similes apud Photium formulas et, ubi eius lexicon mancum est, apud Suidam [2], respicimus, sat multas glossas Boethi cum in scholiis, tum apud illos investigare possumus. Alias vero ex eo cognoscere licet, quod Stoicus haud raro quos affert locos accuratius explanat eorumque notionem illustrat [3]; qua re permultos scriptores citat testes, qui eandem vocem alius alia significatione adhibuerunt. Quin etiam eo progreditur, ut ne unum quidem Platonis locum respiciat, sed alios scriptores qui vocantur classicos laudet; cfr. τέως in schol. Hipparch. 229 D (p. 285 H = 334 B): Demosthenes, Aristophanes, Zoilus, Pherecydes; ἀντικρύ in schol. ad Charmid. 153 A (p. 288 H = 323 B; vide etiam Anecd. Bkk. 408. Suid. s. v.): Homerus, Thucydides, Demo-

---

[1] Eandem hanc vocem Photius in quaest. Amphil. 21 α'. ιγ'. Scriptor. veter. nova collect. vol. I p. 231 edid. Mai; ibid. etiam alias Boethi glossas, quae in lexico partim desunt, tradit; in quaest. 21 l. c. de τευτάζειν verbo item atque in aliis glossis, quas exhibet, se ipsum expilavit; dicit enim τευτάζειν esse δεῖπνον παραθεῖναι, qui error manavit e Pherecratis versiculo, ab illo in lexico allato.

[2] Velut s. v. ἐγχυτρίστριαι — Μίνως ἢ περὶ Νόμου, quae verba scholiasta, qui congruit, omittit ad Min. 315 C (p. 371 H = 336 B).

[3] Optime de hac re egit Cobet. Mnemos. vol. IX p. 429; 430.

sthenes; ἔμβραχυ in schol. Theag. 127 C (p. 288 H = 384 B): Hyperides, Aristophanes, Cratinus. — Prima quam attuli glossa τέως ob vocabulum εὖρον memorabilis est, quando quidem ex ea colligere possumus Boethum testimonia veterum scriptorum non omnia ex aliorum lexicis (velut Pamphili) copiosissimis descripsisse, sed ipsum quoque locos conquisivisse videri, quibus diversas cuiusque vocis notiones perspicue definiret (cfr. schol. 56 E Phileb. p. 255 H = 383 B) «πολύσημος — ἡ λέξις ἥδε.»

Omnes Photii glossas, quae ad Platonem referri potuerunt et quae aut solis in scholiis aut similiter atque in illo leguntur, Naberus Boethi esse sibi persuasit, illas autem Photianas separatim (in indice ad lexicon) composuit plusque 400 explicationes vocum Platonicarum Boetho vindicavit. Cum vero dimidia tantum pars lexici Patriarchae servata sit, Photius solus plus 800 gl. ex Stoici libellis sumpsisse Nabero et eis qui huius opinionem probant censendus est. Accedunt etiam multa proverbia non tradita nisi in scholiis Platonicis et Hesychii lexico, quae ille eidem fonti attribuit; unde iam concludi potest iusto plura Boetho a Nabero reddita esse. Exiles potissimum glossas permultas Diogeniano recte restituisse nobis videmur. Ex ubertate quidem et exiguitate glossarum et ex eo, quod Photius et scholiasta Platonis aut mentionem faciunt, aut hunc non respiciunt, non iam ubique satis certo de origine uniuscuiusque explicationis iudicare licet. Nam etiam perbreves, quales sunt Timaei, Boethi lexica comprehenderant, velut θαμίζεις schol. ad Remp. 328 C (p. 331 H = 395 B), cfr. Phot. s. v., Miller Mélang. pag. 401; ἀλλ' ἤ ad Gorg. 447 A (p. 297 H = 337 B), cfr. Anecd. Bekk. 376, 8; ὑμνεῖν ad Remp. 329 B (pag. 332 H = 395 B, vide Phot. s. v.; deest apud Hes.; ἄδην ad Charmid. 153 D (p. 289 H = 323 B), cfr. Phot. s. v. et Mill. Mélang. p. 400; alia. Cum autem in Hesychii quoque lexico multae Boethi glossae insint (vide Nab. proleg. p. 64; 68 et M. Schmidt. quaest. Hesych. p. CLXIX et p. XCIII),

nos paullulum adiuvat in Stoici glossis investigandis illius cum Photio (et Suida) comparatio. Hesychius enim non easdem atque hic servat, sed interdum omittit, quas Photius **solus** praebet, modo affert, quas hic praeterit, ita tamen, ut satis certo ad Platonem referri possint [1]. Etiam lemmatum ratione habita fieri potest, ut, utrum ad Platonem, an ad alios scriptores quasdam glossas referamus, cognoscatur. Verumtamen etiam in hac re cautionem adhibendam esse demonstrat Schmidtius (quaest. Hesych. p. XCIV) de formis *ἐντέτηκε* schol. Menex. 345 D (p. 330 H = 392 B), *ἤνυτον*, *ἐκ τοῦ παραχρῆμα* schol. Symp. 217 C et 185 C (p. 261 et 257 H = p. 377 et 374 B.)

Permagni nostra refert, num utrumque libellum Boethi scholiasta adhibuerit, deinde ex utro eorum unam quamque glossam sumpserit, praeterea, qua ratione illius interpretationibus usus sit. — Ista quidem quaestio satis difficilis est, quoniam non statim perspicitur, quod discrimen Boethus inter *λέξεις Πλάτωνος* et *ἀπορουμένας* statuerit, quasque voces utrique attribuerit lexico (cfr. Cobet. Mnemos. vol. IX. p. 434/5 et Naber. proleg. p. 55 seq.). — Glossa *ἦ δ' ὅς* ad Phaed. 65 B (p. 231 H = 380 B) non cum uberiore Photii glossa, sed cum exiliore componenda est; quod vero illa in Didymi *ἀπορουμέναις* (p. 399 Miller. Mélang.) similis extat, Photii ampliorem e Boethi *ἀπορουμένων λέξ. συναγωγῇ*, alteram eiusdem, quae etiam in lexico Bachm. et in scholio occurrit, ex

[1]) Hesychius longiores Boethi expositiones plerasque misere contractas tradit, cfr. *παιδικά*, *Παναθήναια*, *τηνάλλως*, *λίσπη*, *λίσπαι*, *λίσποι*, *τευτάζειν*, *ὁμοῦ* etc.; de *ὁμοῦ* adv. vide schol. Phaed. 72 C (p. 232 H), de voce *λίσπαι* etc. schol. ad Symp. 193 A p. 258 H; Naberi adnot. ad Phot. s. v. Quae exempla opinioni Hugonis Weberi admodum favent, qui Diogenianum ipsum (non Hesychium) Boethi lexicis usum esse contendit (Philol. Suppl. vol. III p. 551 seq.). At obstant glossae quaedam copiosae, velut *Ἡρακλ. λίθος*, *αὐτὸ δείξει* etc.; nec potest eius sententia evinci; Boetho Diogenianus usus esse mihi non videtur.

altero haustas esse puto. — Non eadem tradit scholiasta ad Phileb. 66 D (pag. 255 H = 383 B) atque ad Charmid. 167 A (p. 291 H = 325 B) de verbis τὸ τρίτον τῷ σωτῆρι, quarum explicationum huic similis est Photii gl. s. v. τρίτος κρατήρ, illi autem ea, quam hic ibidem affert s. v. τρίτον κρατῆρος. — Ad Alcibiad. II 147 D (p. 285 H = 337 B) φαῦλον paullo aliter explicatur atque a Photio s. v.; cum illo autem loco glossa convenit in Bachmanni συναγωγῇ interpolata (p. 412, 4); utra vero ἀπορουμένη sit, haud scio an concludatur e Didymi glossario (Mill. Mélang. p. 402) [1]. — Ac Cobetus ipse τευτάζειν [2]) et ὀργεῶνες apud Photium libello minori (περὶ τῶν ἀπορουμ.), Κυψελιδῶν ἀνάθημα apud eundem alteri adiudicat (Mnemos. l. c. p. 436). Necnon e compluribus glossis duplicibus Patriarchae et scholiastae Naberus nonnulla, quae ad hanc quaestionem spectant, in notis exponit. Comparatis igitur Photii, Hesychii, Didymi potissimum explicationibus cum scholiis, de satis multis locis, qui Boethi doctrinam in scholiis produnt, non sine aliqua probabilitate iudicium ferri potest, utram συναγωγὴν scholiasta ante oculos habuerit. At haec, quae attuli, satis sunto. — Quod vero ad rationem attinet quam scholiasta in Boethi glossis margini adiciendis secutus sit, Schmidtii de glossis Diogenianeis observationem ibi commemoro, quippe quae etiam de scholiis ex illo receptis valeat. — Diogenianus et Boethus eiusdem vocis haud raro non unam tantum, sed permultas notiones congesserant, ita tamen, ut ille, testimoniis plerisque resectis, interpretamenta variasque significationes retineret, hic autem sin-

---

[1]) Recte igitur Naberus suspicatus esse videtur scholiastam hanc gloss. non ex eodem Boethi lexico hausisse atque Photium. Bachmanni lexicon e scholio emendandum est: ἐπὶ κακοηθείας.

[2]) Pollux quoque (IX. 136 Onom.) de huius vocis significatione dubius erat et ἠπόρει l. c.: οἴονται δέ τινες ταὐτὸν τῷ διατρίβειν νοεῖν καὶ τὸ τευτάζειν παρά τε Πλάτωνι καὶ ἄλλοις εἰρημένον· ἀλλ' οὐ προσίεμαι τοὔνομα.

gulis notionibus locos, cum e Platone ipso, tum ex aliis scriptoribus sumptos, adderet, et sic philosophi verbis eam, quam aptam putaret, adiungeret. Qua re scholiasta aut omnes, quas apud illos invenit, ascripsit, ne una quidem vocula omissa, tanquam gemmulae essent pretiosae, aut ei significationi, qua locus aliquis ei videbatur illustrari posse vel etiam a Boetho illustratus erat, formulas ὡς νῦν, ὡς ἐνταῦθα apposuit. Cuius rei exempla multa M. Schmidtius (quaest. Hesych. p. XCIV) exhibet, velut ἴτης ad Conviv. 203 D (p. 258 H = 375 B); ἀτάρ ad Theaet. 142 C (p. 237 H = 358 B); ἐπίδοξοι ibid. 143 D (p. 358 B); ἐπουρίσῃ ad Alcib. II 147 A (p. 284 H = 337 B); δεινοί ad Cratyl. 424 C. (p. 237 H = 370 B); οἱ ad Phileb. 60 D (p. 255 H = 383 B; haec glossa Boethi esse videtur, cfr. Phot.); τέγγεσθαι ad Remp. II 361 C (p. 335 H = 398 B); quae glossa etiam Timaeo reddi possit; ψαλῖδα ad Leg. 947 D (p. 389 H = 459 B); alia. At videamus etiam Boethum in scholiis: ad Gorg. 447 A (p. 297 H = 337 B) ἀλλ' ἦ] ἀλλ' ἆρα scholiasta codic. Clark. e variis notionibus eam tantum adnotavit, quam in ampliore glossa ad hunc locum pertinentem invenit (vide Anecd. Bkk. 376, 8 et Suid. s. v.). Item ad Phaed. 60 B (p. 230 H = 379 B) interpretatur ἄτοπον vocem θαυμαστόν, aeque ac Thomas Magister, qui in glossa sua Platonica Boetho ut suspicor debita «Πλάτων ἐν Φαίδωνι» laudat. Scholiasta dicit ad Remp. 423 C (p. 340 H = 403 B) φαῦλον esse ῥᾴδιον, ὡς νῦν, scil. hoc Platonis loco, quem sic etiam Boethus apud Photium s. v. explicat.

Jam supra demonstrare conati sumus Diogeniani lexicon praeter Boethi libros in usum vocatum esse. Cui quaestioni persimilis nunc alia oritur, qua via Dionysii et Pausaniae Atticistarum glossae in scholia pervenerint, i. e. utrum Boethus, an scholiasta eorum lexicis usus sit. — Quod illius nomen ad Remp. 470 D (p. 344 H = 406 B)

ἀλιτηριώδης [1]) legitur, id non iam documento est Boethum etiam illum secutum esse et hanc glossam per Stoicum, non ex Atticistae ipsius lexico fluxisse in scholia. Eiusdem vocabuli explicatio similis quidem, sed paullo aliter comparata et magis cum Suida congrua extat ad Leg. 854 B (p. 383 H = 454 B). Non solum in his duabus, sed etiam in ceteris glossis ad Atticistas referendis vestigia interpretationis Platonicae prorsus desunt. Scholia autem, quae alteri utri aut a Nabero tributa sunt, aut vindicanda esse videntur, sunt haec potissimum: τέλος schol. ad Conviv. 205 A (p. 258/9 H = 375/6 B), vide Dionys. et Paus. ap. Eustath. ad Il. 881, 24 seq. = Meier opus. acad. II p. 91 et p. 104 extr.; γενούστης schol. ad Phileb. 30 D (p. 254 H = 382 B), Dionys. ap. Eustath. ad Hom. 239, 33 seq., Suid. s. voce; σᾶ schol. ad Criti. 111 B (p. 370 H = 444 B); vide Dionys. ap. Eustath. ad Hom. pag. 959, 44; Meier opusc. II p. 79; ταλασίας schol. ad Leg. 805 E (p. 381 H = 453 B), vide Paus. ap. Eustath. ad Hom. 1423, 10 = Meier opusc. II 105; (magis fere quam Pausanias Hesychius s. v. convenit); ἐπὶ κόῤῥης schol. ad Gorg. 508 D (p. 323 H = 357 B), vide Dionys. ap. Eustath. ad Homer. 947, 26, cfr. ibid. 701, 1; = Meier l. c. II 75, = Schwartz. Dionys. reliq. pag. 82; Suid., lexic. Bachm. s. v., Etym. Mgn. 529, 39; ἀμοργίς schol. ad Epist. XIII 363 A (p. 392 H = 464 B), vide Paus. ap. Eustath. ad Dionys. Perieg. 525 = Meier opusc. II 88; κολλόπων schol. ad Remp. 531 B (p. 353 H = 414 B), vide Paus. apud Eustath. ad Homer. 1915, 7 seq. = Meier opusc. II 98; et quaedam alia. — De his glossis pauca adnotabo: quamvis

---

[1]) Fere eadem atque in scholio leguntur in Milleri Mélang. p. 411; quae tamen gl. Zenodori non est; cfr. Fresenius Dissert. inaug. 1870 p. 29 seq. — Mirum est, quod Schwartzius, Dionysii Halic. reliquiar. editor, (p. 14) hanc glossam tanquam incertam recenset, quamvis Aelius Dionys. ipse citetur in scholio.

opinionem Naberi dicentis Dionysii (et Pausaniae) glossas a Boetho scholiastam omnes mutuatum esse et Stoici tantum libellos cognovisse, non totam redarguere possim, tamen restant scholia, e quibus haud scio an probabiliter colligas etiam Atticistarum lexicis praeter Boethi scholiastam usum esse. Glossa *σᾶ* (quam supra attuli; confer Nab. prol. p. 33 et s. v. ad Phot.) in scholio ad Criti. 111 B (p. 370 H = 444 B) multo similior est secundae Photianae, quam priori, et si hanc Naberum secuti Boetho vindicamus, illud scholion cum secunda Photiana ad Dionysium ipsum referendum est; errat igitur V. D. qui ad priorem gl. scholion nostrum producit. Recte autem et probabiliter Naberus e Dionysii apud Eustathium vocis *σᾶ* interpretatione collata cum priore Photii (i. e. Boethi) glossa conclusisse videtur ex illius lexico Stoicum hausisse; haec tamen opinio et ipsa haud parum dubia fit propterea, quod Eustathius non totam Dionysii explanationem affert, sed primum nonnulla de voce *σᾶ* exponit allatis duobus versibus, deinde pergit *Αἴλιος δὲ Διονύσιος εἰπὼν καὶ αὐτὸς τοιαῦτα* [1]); si nempe *τοιαῦτα* sic accipimus, ut etiam duos versus Eustathii Dionysii lexico infuisse dicamus (id quod Naberus credit), admodum verosimile est hunc Atticastam inter Boethi fontes numerandum esse; attamen fieri potest, ut *τοιαῦτα* non pertineat nisi ad verba *λέγουσι δὲ καὶ σᾶ τὰ σῶα οἱ παλαιοί, παρ' οἷς καὶ σᾶ ἡ σῶα*, quippe quae Photius et ipse in secunda glossa, i. e. in Dionysiana, afferat.

---

[1]) Eustathius haec exhibet (959, 42): *τὸ δὲ σῶς εὕρηταί φασι καὶ θηλυκῶς. Ἀριστοφάνης· οὕτω παρ' ἡμῖν ἡ πόλις μάλιστα σῶς ἂν εἴη. λέγουσι δὲ καί σᾶ τὰ σῶα οἱ παλαιοί, παρ' οἷς καὶ σᾶ ἡ σῶα. Εὐριπίδης ἐν Ὑψιπύλῃ· εὔφημα καὶ σᾶ καὶ κατεσφραγισμένα. Ἀριστοφάνης· ἡ μᾶζα γὰρ σᾶ καὶ τὰ κρέα χ' ὠ κάραβος. Αἴλιος δὲ Διονύσιος εἰπών τινα καὶ αὐτὸς τοιαῦτα λέγει ὅτι καὶ σῶοι σοῖ καὶ σῷ δέ φησι μονοσυλλάβως οἱ σῶοι καὶ παρὰ Θουκυδίδῃ.* (De his formis vide Cobet. Mnemos. IX p. 394; Pierson. ad Moerid. 348; Stephan. Thesaur. vol. VII 1728 C; Kühner Gr. Grammat. § 314, 5.).

Sed utut res se habet, illud scholion non e Boetho, sed e Dionysio ipso receptum est. — Glossam ἐπὶ κόῤῥης scholiasta ad Gorg. 508 D (p. 323 H = 357 B), Suidas, lexicographus Bachm. s. v. eidem auctori, i. e. Dionysio debent (quem vide apud Eustath. ad Hom. 947, 26. cfr. 701, 1; = Meier opusc. II p. 75 = Schwartz. Dionys. Hal. reliq. p. 82); attamen Didymus Milleri (p. 400) Boethi glossam potius quam scholiasta mihi videtur servavisse; Stoicus enim apud Phot. s. v. ὀργεῶνες sic cum Harpocratione convenit, ut Cobetus (Mnemos. vol. IX. p. 428/9) illum ab hoc compilatum esse censeat; sed convenit cum hoc lexicographo etiam Didymus l. c., qui ipse fatetur se Boethi lexico usum esse (Miller Mélang. p. 399 s. v. ἦ δ' ὅς). Si vero ad hunc glossa quoque ἐπὶ κόῤῥης (Miller l. c. p. 400) refertur Didymi, testem habemus in ea Eratosthenem eundem atque s. v. ἦ δ' ὅς (apud Photium et Didymum Milleri), cuius mentio optime quadrat ad Lycophronis, Chalcenteri, aliorum, quos Boethus (apud Phot. s. v. τευτάζειν et Κυψελιδῶν ἀνάθημα, alibi) sequitur. — Mira quidem, sed antiquissima forma est γενούστης in scholio ad Phileb. 30 D (p. 254 H = 382 B), quam editores alii probaverunt, alii reiecere. Scholion quod extat ad locum e duabus tribusve glossis consutum est; prior pars nempe etiam apud Suidam occurrit, qui prorsus convenit: γενούστης οἷον γεννήτης ἢ συγγενὴς ἢ ἔγγονος. τὸ τελευταῖον ἐκδέχεσθαι ἄμεινον· secundam autem partem praebent et Hesychius et paullo pleniorem quintus Bekkeri lexicographus 231, 28 (cum Etymologo Magno 226, 24): γενούστης παρὰ Πλάτωνι ἐν Φιλήβῳ ἐπὶ τῆς τοῦ θεοῦ ἐννοίας, οἷον ὁ γεννητικός: quarum alteram Diogeniano, alteram Boetho reddendas esse suspicor. Partem vero tertiam scholii Dionysii explicatio comprehendit, quam Suidas non s. v. γενούστης, sed alio singulari loco sub lemmate γεννήτης affert quamque scholiasta fortasse ob γενούστ. ὁ οἷον γεννήτης vocabulum, quod antecedit, ceteris assuit. Ad istum Platonis locum Boethus de γεννήταις sic disputare nec potuit,

nec debuit, etiamsi ponamus eum *γενούστης* formam et ipsum interpretatum esse. Praeterea si scholiasta aut solus aut simul cum Suida in vocis *γεννῆται* explicatione Boethum secutus esset, arctiore affinitatis vinculo Suidas aut cum scholiasta aut cum Dionysio ipso conjungeretur, quod fieri equidem nego. — Paullo magis quam Pausanias Hesychius cum scholiis convenit voces explicans quas attuli *ταλασία* et *κόλλοπες*, Diogenianum secutus ut suspicor, cfr. s. v. et s. v. *ἐκολλόπωσε*, Etym. Mgn. 525, 30 et 323, 22; Tim. s. v. *κόλλαβοι*. — Necnon magni momenti est, quod non omnes Atheniensium institutionum explanationes ad Boethum referri possunt (vide nos infra p. 100). — Quod denique ad formas pertinet, qualis est *ἦ* pro *ἦν*, et *ᾔδειν*, *ᾔδη*, de eis iam multo ante Dionysium disputatum est, velut a Panaetio [1]), qua re ne necesse quidem est, ut Boethum, alibi Alexandrinorum doctrina fruitum, Dionysio usum esse statuamus. — Nabero tamen non inviti concedimus ab hoc potissimum Atticista similia proferri atque a Boetho de voce *ἦ* (schol. Sympos. 173 A pag. 256 H = 373 B; cfr. Phot., qui Boethum descripsit, et Dionys. apud Eustath. 1761, 50 ad Homer. = Meier opusc. II 72 = Schwartz. l. c. p. 60; Choerobosc. Dictat. edid. Gaisf. vol. II pag. 602; alios quos Naberus citat); deinde de v. *σᾶ*, ut supra vidimus; de *ἀλάβαστος* schol. Hipp. II 368 C pag. 327 H = 334 B; cfr. Dionys. (et Paus.) apud Eustath. 1161. 29 seq.; Anecd. Bkk. 374, 6; Suid. s. v. et Hesych.; Naber. proleg. p. 63, et de nonnullis aliis: potestne igitur fieri, ut Atticistas et scholiastae et Boetho auctores fuisse dicamus?

---

[1]) Qui secundo ante Chr. saeculo medio floruit; Eustath. ad Hom. 1946, 22: *παραδίδωσι γὰρ Ἡρακλείδης, ὅτι Ἀττικοὶ τοὺς τοιούτους ὑπερσυντελικοὺς ἐν τῷ η μόνῳ περατοῦσιν, ᾔδη λέγοντες καὶ ἐνενοήκη καὶ ἐπεποιήκη· καὶ οὕτω φησὶ Παναίτιος ἔχειν τὰς γραφὰς παρὰ Πλάτωνι.* Cfr. etiam Phot. s. v. *ἦν* cum adnot. Naberi, item s. v. *ἑωράκη*, *ᾔδη*, *καὶ τὸ ᾔδη*.

Sicut Atticistarum glossas, quae in scholiis leguntur, ita etiam ἥκιστα scholion ad Leg. 899 D (pag. 385 H = 456 B), ubi Libanius citatur, Naberus Boetho vindicat. Quae opinio non nititur nisi eo, quod scholiasta et Photius illius testimonio utuntur. Etiamsi vero compertum non habeamus, unde uterque hanc glossam hauserit, tamen V. D. mihi non iam persuasit; nam quo iure Ruhnkenius (vide supra pag. 67) Porphyrii memoriam reiecit et ab inepta manu in gl. οὐχ ἥκιστα intrusam esse dixit, eodem et fortasse maiore etiam ac rectius Libanii mentionem Boetho, elegantissimo scriptori, abiudicare licet. Suidas eum quater laudat sub vocib. Ἀκρισία, βασκαίνω, ἥκιστα, ὀδύρω (quae leguntur etiam in lexico Bachm.) [1].

---

[1]) Si re vera demonstrari posset Suidae Eudemum lexicographum auctorem fuisse, ego illam gl. ad hunc referre non dubitarem. Cuius lexicon Bachmanniano persimile a Suida in usum vocatum et tabulae huius thesauro praefixae fidem habendam esse probare studuit M. Schmidtius (Jahn. Annal. vol. 71 p. 482 seq. [1855]; Sitzungsber. d. phil. hist. Cl. d. Kais. Acad. d. Wiss. Wien. vol. 21 p. 288/9 [1856]: „Eudem ist Hauptquelle des Suidas. . ." cfr. Ritschl. proleg. ad Thom. Magistr.); item Boysenus iudicat (quaest. Harp. p. 33 seq.). — Suidam a Photio pendere censuerunt Bernhardyus (proleg. ad Suid. pag. XLIV) et Naberus (proleg. ad Phot. p. 164 seq.). Qui duo V. D. mihi videntur rectius iudicavisse: argumento, quo usus Naberus opinionem suam probavit, ἐξωκέλης monstroso vocabulo, Stojentinus, qui ipse cum hoc facit, aliud non minus grave addidit ἐφόλκια et ἔφορος quae glossae apud Photium et Suidam vitiosae, apud lexicographum Bachm. probae extant (v. Jahn. Annal. vol. 119 pag. 121 (1879). — Ex Eudemo etiam Photium hausisse putavit Schmidtius (Jahn. Annal. vol. 71 pag. 482). Id saltem concedi debet, cum Photius e recentioribus scriptoribus Longinum, Clementem Alexandrinum, Dionem, Εὐνόμιον quendam δυσσεβῆ, Hieroclem, Gregorium Theologum, Aristidem Rhetorem, Aelianum citet, quorum testimonia certe non e Pausania Dionysioque (Diogeniano), Harpocratione, Timaeo, Boetho sumpta aut interpolata esse possunt, praeter hos lexicographos etiam alios quosdam a Patriarcha expilatos esse. Quorum in numero num fuerit Eudemus, non potest discerni: in huic exicon nonnullos ex illis scriptoribus interpolatos esse circum annum 40

Si igitur de tempore, quo Boethus vixerit, quaerimus, Libanii testimonio uti vix licet. Nam is, qui Naberum secutus eum inter illius auctores recenset, necesse est non ante finem quarti p. Chr. saeculi Stoicum vixisse contendat, quando quidem Libanius ab anno fere 414 usque ad 493 (?) in vivis fuisse creditur [1]). Restant autem ad eius aetatem accuratius circumscribendam nonnulla alia argumenta, velut glossarum Boethi cum Dionysianis similitudo quaedam quamvis ambigua (vide supra pag. 93 seq.); deinde Diogenes Laërtius, qui exeunte secundo et ineunte tertio saeculis floruisse videtur, de voce *φαῦλον* Boethum fortasse consuluit (vide libr. III 63 (18)[2]. Cobeti quoque opinio, ex qua Stoici lexicis Harpo-

---

Schmidtius sibi persuasit (Jahn. Annal. vol. 71 pag. 498; confer Naber. proleg. p. 125 seq.). Si Photii gl. *πλέθρον* et *στάδιον* cum scholiis ad Crit. 115 D (p. 370 H = 445 B) et ad Alcib. I 123 C (p. 282 H = 389 B) conferimus, utrobique eadem ex eodem fonte sumpta invenimus. Sed citat Photius Dionem (quem etiam s. v. *ἤγαλλεν* simul cum Eunomio laudat), a scholiasta omissum. (Stadia qualia Photius et scholiasta commemorant, tempore imperatorum Rom. in usu erant: cfr. Hultsch Metrol. Unters. § 11 p. 56). Afferam aliam quoque, quam nemo Boetho tribuere potest: Phot. s. v. *τέμνουσι φάρμακον* addit: *ἄλλοι τε καὶ Ἱεροκλῆς* (cfr. schol. ad Epist. VIII 353 E p. 392 H; Maur. Schmidt. quaest. Hes. p. XCV). Qui si etiam s. v. *διαλέγοιντο, διότι, ἐμποδών, λέσχη* (ap. Suid. et lexic. Bachm.) intelligendus est, vix diversus est a Neoplatonico, Platonis interprete, qui V. p. Ch. saec. vixit et *Φιλοσοφούμενα* scripsit (Nicol. Gr. Lit.-Gesch. III p. 283). Utut est hoc scholion Boetho abiudicandum est.

[1]) Vide Nicol. Gr. Lit.-Gesch. vol. III p. 204 (alt. Edit.); Westermann in Paully Realencyclop.; Bernhardy Gr. Lit.-Gesch., zweite Bearbtg. 1. Thl. p. 551.

[2]) Diog. L. l. c. *χρῆται δὲ* (sc. *Πλάτων*) *καὶ ἐπὶ διαφερόντων σημαινομένων τοῖς αὐτοῖς ὀνόμασιν. ὁ γοῦν φαῦλος λέγεται παρ' αὐτῷ καὶ ἐπὶ τοῦ ἁπλοῦ ὡς καὶ παρὰ Εὐριπίδῃ ἐν Λικυμνίῳ φέρεται ἐπὶ τοῦ Ἡρακλέους οὑτωσί· φαῦλον, ἄκομψον, τὰ μέγιστ' ἀγαθόν | πᾶσαν ἐν ἔργῳ περιταμνόμενον | σοφίαν, λέσχης ἀτρίβωνα. χρῆται δὲ ὁ Πλ. ἐνίοτε αὐτῷ καὶ ἐπὶ τοῦ καλοῦ· ἔστι δ' ὅτε καὶ ἐπὶ τοῦ μικροῦ* (cfr. supra p. 91).

cratio [1]) s. v. ὀργεῶνες usus est (cfr. supra pag. 95 et pag. 91), cum illa observatione convenit. Necnon Pollux, Commodi Imperatoris aequalis, nonnullas similiter atque Boethus interpretatus est (cfr. nos p. 91 c. n. 2). M. Schmidtius quidem hunc recentiorem Athenaeo esse credit, quippe qui eum nusquam adhibuerit; sed haec causa non satis gravis est, nec quicquam aliud V. D. probat nisi Boethum recentiorem Pamphilo fuisse, quem Deipnosophista imprimis secutus est. Hugo autem Weberus, Boethi lexicis Diogenianum usum esse suspicatus (Philol. Suppl. vol. III p. 551), ante hunc illum vixisse statuere videtur; sed opinionem suam argumentis accuratius stabilire neglexit (vide nos supra p. 90 n. 1). Fortasse de Stoici aetate tum demum certius iudicari poterit, si Hesychii, Photii (Suidae), aliorum lexicis pervestigatis glossae Platonicae quam plurimae congestae et diligenter inter se collatae erunt.

Cap. VIII. DE FONTIBUS GLOSSARUM QUAE AD ATHENIENSIUM REMPUBLICAM, IUDICIA, INSTITUTIONES PERTINENT.

Huius generis scholia satis multa inveniuntur; at ne haec quidem uni eidemque auctori debentur. Insunt glossae Diogeniani, Pollucis, Atticistarum, quarum quidem doctrinam non per Boethum in farraginem nostram illatam esse ostendere conabimur; deinde Caecilii Calactini vestigia repperimus nonnullasque glossas e Neoplatonicis receptas. Stoico vero e scholiis ea, quae restant, tribuenda sunt vel potius tribuenda esse videntur.

---

[1]) Harpocrationem. Naberus (proleg. pag. 107) tempore Antoninorum vixisse putat; aliorum iudicia contulit Boysen (quaest. Harp. p. 11 seq.).

Si Photii lexicon pervestigamus quaesituri, num Boethus huiuscemodi adnotationes exhibuerit, glossa occurrit *εὔθυναι· οἱ ἀπολογισμοὶ τῶν ἀρξάντων· καὶ εὔθυνοι· οἱ τούτους ἀνακρίνοντες. Νόμων ιβ' κ. τ. λ.* (afferuntur Platonis verba). Estne autem etiam ea, quam Photius [1]) deinceps tradit, eiusdem interpretis? Ego quidem hoc nego. Scholiasta ad Leg. XII 945 D (p. 389 H = 459 B) disputans non tam cum Boetho Photii quam cum quinto lexico Bekkeri p. 245, 6 convenit et simillima vel eadem docet atque Patriarcha in altera glossa; nam verba *κυρίως ἣν εἰσάγουσιν οἱ λογισταὶ πρὸς τοὺς δόξαντας μὴ ὀρθῶς ἄρξαι τῆς πόλεως ἢ πρεσβεῦσαι κακῶς κ. τ. λ.* multo melius ad scholion referri possunt: *κρίσις κατὰ τῶν ἀρξάντων*, quam ad Boethi verba: *οἱ ἀπολογισμοὶ τῶν ἀρξάντων.* Nec vocis *εὔθυνοι* explicationem, quam ex hoc ibidem Photius exhibet, cum scholio antecedenti contulerim; item etiam de glossa quae legitur post *εὔθικτον* censeo, qua re non perspicio, cur Naberus ad hanc gl. schol. Platonis laudet. — Itaque scholiasta in quibusdam glossis aliquem alium et a Photio et a quinto Bekkeri lexicographo usurpatum sequitur. Conferamus igitur hunc cum scholiis: *ἐπωβελία* Bkk. 255, 29 (cfr. 189, 1 in quarto lexic.) et schol. ad Leg. 921 D; *διαιτηταί* Bkk. 235, 20 et schol. Leg. 920 D; *ἐξηγητής* Bkk. 252, 4, paullo plenius quam schol. Euthphr. 4 C (p. 224 H = 327 B; similia vide etiam in quarto lexico 187, 10, quae Suidas quoque exhibet); *κακοτεχνιῶν* Bkk. 268, 24 et schol. Leg. 936 D (p. 388 H = 458 B); *ἐπίσκηψις* Bkk. 255, 27 et schol. Leg. 937 B (ibid.); *Διονύσια* Bkk. 235, 6 et schol. ad Remp. 475 D (p. 345 H = 407 B), ubi tamen errore *Μαιμακτηριῶνος* legitur (Hes.: *μηνὸς ΛΗΝΑΙΩΝΟΣ*, unde illud corruptum esse videtur) [2]); *πελτασταί* Bkk. 297, 8 et schol. Leg. 813 D (p. 381 H =

---

[1]) Similiter Photius s. v. *ὀργεῶνες* duas gl. affert, alteram multo ampliorem e Boethi lexico, alteram cum Bkk. lex. 286, 11 convenientem.

[2]) Confer Momms. Heortol. p. 332.

453 B); *ἄτιμος* Bkk. 198, 26 et schol. ibid. 855 C (p. 383 H = 454 B). Similia leguntur Bkk. 291, 4—14 et in schol. ad Leg. 953 C (pag. 389 H = 459 B) et ap. Phot. de voce *πρυτάνεις*, qui omnes eundem secuti sunt. In quinto Bekkeri lexico Pausaniae glossas inesse contendunt et demonstrare conantur M. Schmidtius (Jahn. Annal. vol. 71 p. 779) et Naberus (proleg. p. 182; cf. M. H. E. Meier opusc. acad. II. 116 seq.); Boysenus autem (quaest. Harp. p. 47 sq.; 53 sq.) probabiliter ostendit Dionysii explicationes in hanc *συναγωγήν* transiisse; qua re fieri nequit, ut auctorem singularum glossarum apud Bekkerum extantium satis certo cognoscamus, etiamsi de quibusdam glossis cum Atticistarum fragmentis collatis nimirum recte iudicare possimus. Hos autem ipsos Photius inspexit (illorum lexica idem codex M. S. continere solebat), unde colligitur, cur saepius in glossis citatis conspiret. Jam magna illa scholiorum cum quinto lexico Bekkeri convenientia nos impedit, quominus de Boetho tanquam fonte explicationum si non omnium, tamen multarum cogitemus. Jam supra (p. 95) *γεννῆται* glossae partem postremam e Dionysio ipso sumptam esse diximus. De voce *ἐξηγητής* disputatur in lex. Bkk. 252, 4 inter explanationes satis accurate ex literarum ordine digestas (quod magni momenti est, quoniam omnes eidem auctori deberi verosimile est); paullo vero post illam alia extat, *ἐξούλης*, quam cum Eustathius (ad Hom. 1769, 33) secundum Pausaniam [1]) similiter interpretetur, etiam illam *ἐξηγητής* (cfr. schol. Euthphr. 4 C p. 224 H) ad hunc Atticistam referre licet. — In vocibus *ἕνδεκα* et *ἕνη καὶ νέα* Bekkeri lexicographus alterumutrum Atticistam usurpavit, nam in illa cum fonte Eustathii (1595, 41) convenit; necnon alteram *ἕνη καὶ νέα* qua scholion multo plenius est ad Leg. 849 B (p. 382 H = 453/4 B) indidem hausisse probabiliter

---

[1]) Eustath. l. c. *ἐξούλης φησὶ (Πανσανίας) δίκη ἡ τῆς ἐξείρξεω ἕτεροι δὲ τὴν πανώλεθρον*, cfr. 1533, 63; 945, 3; Harp. s. v.

creditur; fieri quidem nequit, ut ad singulas omnes glossas quas supra attulimus scholiorum etiam Atticistarum explicationes ex Eustathio aliisque proferamus et sic quaestionem nostram et argumentationem omnibus numeris conficiamus. — Praeterea nonnulla scholia inveniuntur, quibus aut accuratissime eadem traduntur aut simillima atque in lexico rhetorico quod dicitur post Photium vel Cantabrigiense [1]: *βιαίων δίκη* schol. ad Remp. 464 E (p. 343 H = 405 B); lex. Cant. pag. 334, 17 (Nauck); *εὔθυνα*, quod supra cum lexico Bekkeri contulimus, schol. Leg. 945 B (p. 388/9 H = 459 B); lex. Cant. 344, 1 (cfr. Pollux VIII, 45); *διαψήφισις* schol. Leg. 855 C (p. 383 H = 455 B); lex. Cant. 336, 10 (Pollux VIII, 63 et 64 hoc scholion suppeditavisse videtur); neque discrepat a lex. Cant. 340, 5 schol. Leg. 849 B *ἕνη καὶ νέα* [2]. Difficile quidem dictu est, utrum re vera nonnullas saltem glossas scholiasta auctori huius lexici rhetorici debeat, an omnes, quae aut prorsus cum scholiis conveniunt, aut paullo differunt, ex eisdem Atticistarum lexicis ab utroque sumptae sint. Quae opinio magis quam illa mihi comprobatur, etsi certa argumenta afferre nequeo; velut glossa *βιαίων δίκη* neque a Photio neque a Suida traditur, neque usquam alibi similis extat; qua re, quid Atticistae dixerint vel dixisse videantur, non possumus augurari.

Caecilium Calactinum scholiasta sequitur in gl. *εἰσαγγελία* ad Remp. 565 C (p. 356 H = 416 B) quod e lexico Cantabr. 339, 1 concludo [3]; qua autem via in scholia

---

[1]) Primus edidit Dobraeus post Photium; quae editio repetita est Lips. 1823; idem lexicon MHE Meier (Halae 1843 quae editio Turic. deest.) et Nauckius isque simul cum lex. Vindob. (Petrop. 1867) publici iuris fecerunt. Claudius Casilo auctor lexici fertur (Miller. Mélang. p. 397).

[2]) Eustath. 1866, 10 scholiastas Platonis sequitur de vocib. *ἕνη κ. νέα*.

[3]) *Καικίλιος δὲ οὕτως ὡρίσατο· εἰσαγγελία ἐστίν, ὃ περὶ καινῶν ἀδικημάτων δεδώκασιν ἀπενεγκεῖν οἱ νόμοι. ἔστι δὲ τὸ μελετώμενον ἐν*

irrepserit, magis suspicari quam demonstrare possumus. Collatis enim scholio, Suida, Caecilio (ap. Claud. Casil.) apparet scholiastam non ipsum Calactini lexico usum esse, quoniam cum Suida plane convenit; sed ne hic quidem lexicographus glossam Caecilio acceptam refert. Si quid e lexico Bachmanni licet concludere, Photius eandem glossam exhibuerat, mutuatus aut ab altero utro Atticista aut a Boetho.

Diversorum auctorum explicationes vocis *ἀντωμοσία* scholiasta ad Apol. 19 B (p. 227 H = 330 B) conglutinavit. Atque in verbis quidem ab *ἀντωμοσία* usque ad *ἠδικηκέναι* non differt ab Hesychio, qui Diogenianum sequi videtur. Conferendus est etiam Bekkeri lexicographus quintus (200, 16), qui non solum primam explicationem affert, verum etiam ad sequentem prope accedit (*οἱ δὲ — δοξάζουσιν*). Deinde duas alias (*ἔνιοι* usq. ad fin.) additas videmus, quarum in altera inter *διωμοσίαν* et *ἀντωμοσίαν* similiter distinguitur atque a Suida s. v. *διωμοσία* et in quarto [1]) Bekkeri lexico 186, 16: ceteri autem auctores alia tradunt (proprie accusatoris iusiurandum est *προωμοσία*, cui opponitur *ἀντωμοσία* qua reus se obstringere debebat; illa vero, cum hac coniuncta, est *διωμοσία*, v. lexic. Cantabr. 337, 12; Tim. s. v. *ἀντωμοσία* et *διωμ.*· Bekk. Anecd. 239, 23; de re ipsa Meier Att. Proc. p. 624). — Ea quae in scholio antecedunt *ἔνιοι — δικασταί*, cum aliorum interpretationibus non conveniunt. Nam Tim.

ταῖς τῶν σοφῶν (sic) *διατριβαῖς*. De isangelia vide Schoem. de Comit. p. 188; Meier der Att. Proc. p. 26; multus est Hagar (quaest. Hyperid. Dissert. Lips. 1870.).

[1]) Auctorem huius lexici Boysenus (quaest. Harp. p. 22) Caecilium fuisse opinatus est et ad hunc mutilas illas contractasque glossas referre studuit. At vocum *φάσις, εἰσαγγελία, θεωρός* explicationes Caecilii in IV. lexico desunt; deinde *ἐξούλης* (188, 7 Bekk.) glossae Caecilianae repugnat (vide has voces ap. Boys. p. 16 et 17); qua re Boys. mihi non iam persuasit. Nicolai (Gr. Lit.-Gesch. vol. III p. 193. Edit. II) quartum h lexicon ex Harpocratione compilatum esse coniecit.

simillima ad ἐξωμοσίαν (s. v. ἀντωμ.) refert, auctor gl. apud Bekk. 409, 23 ad ὑπωμοσίαν, item etiam Harpocratio s. v. ὑπωμοσία et lexic. Cant. s. v. ἀπωμ. 333, 5 seq., ubi ὑπόμνυσθαι explicatur. Cum autem ὑπωμοσία proprie designet iusiurandum quodlibet, quo alicuius rei dilatio et comperendinatio petatur (Schoem. de Comit. p. 159; Meier et Schoem. Att. Proc. p. 695 et 696 cum adnot.), scholiastam puto errore huc traxisse, quae s. v. ἀνθυπωμοσία alicubi legisset (de qua Meier et Schoem. libr. cit. p. 696). Diversis igitur fontibus scholiasta usus est, et magno opere is erret, qui ab hoc ex uno tantum haustas esse sibi persuadeat omnes quas perlustravimus explicationes: nam extrema verba (οἱ δὲ ὅτι) ὁ τοῦ κατηγορ. ὅρκος usq. ad fin. Venetus cod. M. S. alio loco et separatim posita exhibet, Clarkianus autem omittit; neque tamen crediderim omnes quae antecedunt eidem Diogeniano deberi. — Namque ad hunc satis certo referri potest scholion ad Criton. 51 E (p. 230 H = 332 B) γεννῆται (cfr. Hesych.); alia, quae eidem restituenda esse videntur, praetereo, et affero nonnulla e Pollucis Onomastico sumpta: δίκην λαχεῖν schol. Leg. 928 C (p. 387 H = 457 B), Poll. VIII, 28 (aliter Phot. s. v. λαχεῖν et Bekk. Anecd. 277, 20); διαψήφισις schol. ibid. 855 C (p. 383 H = 455 B), Poll. VIII, 63 et 64; schol. ad Remp. 550 C. de populi Atheniensium partitione (p. 354 H = 415 B), Poll. VIII, 130; βασιλεύς schol. Clark. cod. M. S. ad Euthyphr. 2 A., Poll. VIII, 90; schol. ad Alcib. de ephebis (vide supra p. 13); Pollucem secutus esse Proclus mihi videtur ad Leg. 915 B et in hypothesi (v. supra p. 27 seq.), perpauca alia non prorsus congruunt. — Jam hic illic etiam Neoplatonicos de publicis institutionibus egisse commemoravimus; velut Olympiod. et Proclum de ephebis (v. supra p. 13/4), Olympiod. (et Ammon.) de formula τὰ μὲν ἄλλα κατὰ τὰ αὐτά (v. p. 24 c. not. 1), Procl. de Apaturiis et tribubus (v. pag. 10 adnot.; schol. 21 B Tim.), Hermiam de novem

archontibus ad Phaedr. (v. pag. 25), Proclum de Panathenaeis ad Remp. (v. p. 35), et pauca alia.

Itaque ne hae quidem glossae eiusdem originis sunt; quibus aliud genus scholiorum adiungam, quae item compluribus fontibus restituenda sunt neque separari possunt a glossis, Diogeniano et Boetho debitis, de quibus hucusque imprimis disputatum est.

Caput IX. DE PROVERBIORUM FONTIBUS.

Quoniam Plato permultis locis proverbia dialogis immiscuit, scholiastae eis interpretandis magnam curam et operam dare debuerunt. Pleraeque autem explanationes, quae in scholiis traduntur, similes extant apud Hesychium, Photium (Suid.), quos iam in glossis grammaticis magno opere cum illis consentire vidimus. Verumtamen non solum ex horum lexicographorum fontibus proverbia hausta sunt, sed etiam commentarii Neoplatonicorum et ipsi proverbiorum scriptores in usum vocati sunt. — Qua in quaestione ubique ratio habenda est opinionis Naberi, qui proverbia ut videtur omnia Boetho vindicat (proleg. ad Phot. p. 67 seq.). Itaque nobis demonstrandum erit inesse quidem in scholiis, quae Stoico debeantur, restare autem satis multa, quorum explicationes ad alios auctores referendae sint.

Photius proverbium exhibet *οἶνος ἄνευ παιδευτῶν κ. τ. λ.*: ex lemmate corrupto et e duobus proverbiis, quae et a Platone et ab illo coniuncta [1]) proferuntur, concludi potest

---

[1]) Vide interpretes ad Plat. Symp. 217 E, imprimis Hugii V. Cl. notam ad loc. cit.; ex Hugii disputatione colligi debet scholiastam ibi Boetho usum non esse; nam hic utramque formam (1) *οἶνος καὶ ἀλήθεια* 2) *οἶνος καὶ παῖδες ἀληθεῖς*), ille priorem tantum affert; deinde scholii explicatio *ἐπὶ τῶν* - — diversa est a Boethi. Hunc tamen Naberus (prol. p 67) scholiastae auctorem fuisse dicit.

apud Patriarcham Boethi glossam extare. — Idem praebet καὶ τὸ τοῦ λύκου, quibus verbis Plato usus est in Phaedr. 272 C. — Huc refero etiam Phot. gl. τρίτος κρατήρ et τρίτου κρατῆρος (cfr. nos supra p. 91). Rectissime igitur Naberus Boethum proverbia interpretatum esse contendit. Quam valde autem fallantur, si qui, ut Naberus, omnia ex eius libris hausta esse putent, ex eo concludas, quod V. D. etiam quaedam proverbia, quorum explicationes scholiasta Neoplatonicis acceptas refert, Stoico reddidit, velut ὁ μῦθος ἐσώθη in schol. ad Remp. 621 B (p. 362 H = 422 B; vide supra p. 33); πολέμου καὶ μάχης μεταλαγχάνειν (v. supra p. 19); ὁ τρώσας καὶ ἰάσεται (v. supra ibid.); μύρον κατὰ τῆς κεφαλῆς (ne prior quidem explicatio Boethi est; qui sic nusquam locutus est; vide supra p. 33); σὺ καὶ ἐμοὶ ἐρεῖς (vide supra p. 37). — De aliis proverbiis γλυκὺς ἀγκών et εἰς ὁμοίας λαβάς, vide p. 25/6, τῷ ὅλῳ καὶ παντί p. 37.

Quaerendum est praeterea, num cetera omnia Boetho Naberus recte vindicaverit. Hoc quoque negandum est. — In proverbio ἢ τρὶς ἓξ ἢ τρεῖς κύβοι Zenobius (IV 23) cum scholio ad Leg. 968 E (pag. 389 H = 460 B) multo magis convenit quam cum Photio s. v. ἢ τρὶς ἕξ . . et τρὶς ἕξ. Patriarcham quidem probabile est Boetho usum esse (cfr. verba δύο . . αὐτόν φησι βάλλειν . .; sic enim Stoicus locos, quos citat, explanare solet). Attamen vix dubium est, quin aut Zenobius ipse aut Zenobii fontes (Tarrhaeus[1]) et Didymus) a scholiasta ibi usurpati sint. Ad Didymum ipsum relegamur in proverbio χαλεπὰ τὰ καλά, ad Tarrhaeum in proverbio Σαρδάνιος γέλως (ad Remp. 337 A pag. 332 H = 396 B); illud bis extat, secundum diversos auctores enarratum: ad Cratyl. 384 A (pag. 235 H = 369 B) et ad Hipp. I 304 E (p. 327 H =

---

[1]) Schneidew. in not. ad Zenob. Tarrhaeum scholii fontem fuisse sibi persuasit; vide praefat. p. XVIII.

394 B); ibi satis convenit Zenob. VI 38, cuius explicatio sine dubio ex Tarrhaeo recepta est: nam hunc et Didymum expilavit. Utarmque vero gl. vix liceret eidem Boetho tribuere, etiamsi Naberum secuti hunc praecipuum vel unicum scholiorum auctorem fuisse statueremus. — Deinde si ponimus Photium (Suidamque) potissimum Boethi proverbia servavisse, necesse est contendamus illum huius doctas expositiones haud raro misere tradidisse et contraxisse, unde nunc fiat, ut scholiasta in multis proverbiis multo magis cum aliis imprimis cum Zenobio conspiret quam cum Stoico; praeterea Naberi opinio eo nos adducat, ut Zenobium prorsus eosdem, quos scholiasta adiisset, usurpavisse et hic illic sic fideliter tradidisse dicamus, ut ad verbum cum scholiis nunc conveniat. At proferamus nonnulla exempla, quibus appareat Photium minus cum scholiasta congruere quam Zenobius cum hoc consentiat (cfr. supra ἢ τρὶς ἕξ).

ἀφ' ἑστίας· Zenob. I 40; schol. Euthphr. 3 A; etiam Hesychius [1]) convenit in altera explicatione (prior simillima extat in schol. Aristoph. cod. Venet. 846 et Didymi esse videtur [2])) ...

δὶς καὶ τρὶς τὸ καλόν Zenob. III 33; schol. Phil. 60 A (Ven. cod. M. S.) et Gorg. 498 E (p. 319 H = 354 B).

γηράσκω δ' αἰεὶ Zenobius III 4; schol. Anter. 133 C (p. 286 H = 384 B).

λευκὴ στάθμη Zenob. IV 89; schol. Charm. 154 B (p. 289 H = 323 B).

---

[1]) Schmidtius recte mihi videtur statuisse Hesychium Zenobio usum esse (Naberus [proleg. p. 68 seq.] ab illo Boethi lexica adhibita esse docet) et ex hoc Diogeniani proverbia supplevisse; alia profert Hugo Weberus, Schmidtii adversarius (Philol. Supplemt. III p. 563 seq.).

[2]) Cum scholio cod. Venet. Equit. Aristoph. 1151 Platonis scholiasta ad Hipp. I 293 A (p. 326 H = 393 B) βάλλ' ἐς Μακαρ. accurate conspirat (cfr. Zenob. II 61; Hes. non integer est).

πάντα κάλων ἐφέντες Zenob. V 62 (cfr. 63 et Diog. VII 42); schol. Sisyph. 389 C (p. 393 H = 466 B); Phot. et Suid. fere eadem; ille exhibet πάντα κάλ. σείειν, item atque Eudemus (v. Boys. quaest. Harp. p. 103); Hes. σείει. Zenob. σεῖε.

κολοιὸς ποτὶ κολοιόν Zenob. II 47; schol. ad Remp. I 329 A (p. 331 H = 395 B).

πόλεις παίζειν Zenob. V 67; schol. ad Remp. IV 422 E (p. 340 H = 402 B); cfr. Phot.

ὕδραν τέμνειν Zenob. VI 26; schol. ad Remp. 426 E (p. 340 H = 403 B); Phot. s. v. satis differt.

Διομήδεια ἀνάγκη Zenob. III 8; schol. ad Remp. VI 493 D (p. 347 H = 408 B).

Cum aliis Zenobii libris M. S., Vatic. et Bodl., i. e. «cum fratre gemello» Zenobii (Schneid. praef. p. XXX seq.) plus minusve conveniunt e nostris scholiis haec proverbia:

τὸν κολοφῶνα ἀναγκάζω schol. ad Theaet. 153 C (p. 238 H = 359 B); vide not. crit. Leutschii ad Diogenian. VIII 36; Phot. omittit; Suid. convenit.

μὴ κινεῖν κακόν schol. Phileb. 15 C (p. 254 H = 382 B); vide not. crit. ad Diog. VI 54; Phot. omittit.

Ἀδώνιδος κῆποι schol. Phaedr. 276 B (p. 275 H = 319 B); vide not. ad Diog. I 14; Hesychius et Suidas Boethum sequi videntur eandemque explicationem afferunt. — Inter alia scholia et proverbia Zenobii haud pauca, qualia nunc extant, nulla similitudo intercedere videtur. At scimus Zenobii collectionem non integram traditam esse (cfr. Schneidew. praef. p. XXV et XXX); et quamvis hodie ille a scholiasta discrepet, tamen olim multo accuratius et interdum ad verbum convenisse putandus est, id quod concludo ex hisce exemplis:

schol. est ad Euthd. 292 E (p. 295 H = 368 B) Διὸς Κόρινθος· ἐπὶ τῶν ἄγαν μὲν ὑπερσεμνυνομένων, κακῶς δὲ καὶ πονηρῶς ἀπαλλαττόντων. Zenobii autem interpretatio

parum congrua est III 21: *παροιμία ἐπὶ τῶν τὰ αὐτὰ λεγόντων καὶ πραττόντων.* Paullo magis cum scholio conveniunt Vatic. et Bodl. codic. M. S., qui simillimam saltem de proverbii origine narrationem exhibent (v. ad Zenob. III 21 not. crit.). Ibi hi duo libri M. S. manifesto «alienos pannos» non adsuerunt (Schneidew. praef. pag. XXXI); et ne isti quidem codices genuinam proverbii formam servavere; nam Milleri Zenobius (Mélang. p. 356. ξϛ′) haec docet: *ὁ Δ. Κ.· ἐπὶ τῶν ἐπ' οὐδενὶ τέλει ἀπειλούντων φασὶν εἰρῆσθαι τὴν παροιμίαν·* deinde sequitur etiam altera quam scholion praebet explicatio, quae omnia satis conspirant cum scholiastae verbis, quamvis ex his ne unum quidem apud Zenobium Schneidewinianum supersit; quam autem interpretationem priore loco in scholio positam (*ἐπὶ τῶν.. ὑπερσεμνυνομένων..*) legimus, eam Millerianus secundo affert cum scholio maxime congruam: *ἄλλοι δέ φασιν ἐπὶ τῶν σεμνυνομένων, κακῶς δὲ ἀπαλλαττόντων εἰρῆσθαι τὴν παροιμίαν·* Phot. s. v. *ὁ Δ. Κ.* nihil tradit nisi: *ἐπὶ τῶν πάλαι μὲν εὐπραγησάντων, ὕστερον δ'οὐ καλῶς ἀπαλλαξάντων* [1]). — Simili modo alia quoque afferri possunt, velut *δευτέρων ἀμεινόνων* schol. Leg. 723 E (p. 379 H = 451 B); Zenob. III 15, ubi vide etiam Bodl. cod. M. S., cuius proverbium conferendum est cum Milleri Zenobio p. 358 οθ′, qui magis cum scholio convenit; *Δαιδάλεια ποιήματα* schol. ad Menon. 97 D (p. 325 H = 367 B); Zenob. III 7; Mill. p. 350 ιδ′.

Ex his et aliis sat multis locis concludi potest proverbia in scholiis explicata magnam partem aut e libris Didymi et

---

[1]) Qua re non iam valet id quod Leutschius ad Zenob. adnotat Demonis et scholiastae Platonis explanationes a Zenobianis diversas esse. — His exemplis apte adduntur cum alia tum *Γλαύκου τέχνη* Zenob. II 91, schol. Phaed. 108 D (p. 234 H = 381 B); et *ἐν πίθῳ τὴν κεραμείαν* Zenob. III 65, schol. Lach. 187 B (p. 292 H = 322 B); vide Schneidew. praef. p. XV seq.

Tarrhaei (Zenobii fontibus) fluxisse [1]) neque Boetho deberi aut ex lexicis quidem Stoici hausta esse, Photium autem alios quosdam esse secutum (velut Pausaniam et Dionysium). — Utriusque Atticistae proverbii *λευκὴ στάθμη* interpretationem ex Eustathio cognovimus. Pausaniam Photius s. v. Nabero videtur secutus esse (proleg. p. 46), quamvis alibi (prol. p. 69) et Patriarcham et Hesychium et scholiastam (ad Charmid. 154 B; p. 289 H = 323 B) e Boetho hausisse statuat. Utrum Photius adierit, incertum est, quoniam eius glossa non plena extat. Cum Zenobio IV 89 Hesychius plane convenit explicans: *ἐπὶ τῶν μηδὲν συνιέντων.* Plura vero Pausanias (Eustath. ad Hom. 1022, 65), scholiasta, Photius (cum Suida) exhibent: *ἐπὶ τῶν ἄδηλα ἀδήλοις σημειουμένων καὶ μηδὲν συνιέντων* [2]). Propius ad Zenobium quam ad Pausaniam scholiasta accedit his verbis: *ἡ γὰρ ἐν τοῖς λευκοῖς λίθοις στάθμη λευκὴ οὐδὲν δύναται δεικνύναι*, nam Pausanias paullo aliter *οὐ γὰρ ἀκριβῶς*, inquit, *διαφαίνει ὀρθότητα ἡ λευκὴ στάθμη.* Mihi quidem verosimillimum videtur esse Zenobium et Pausaniam Didymo Tarrhaeove, quos ille sequitur, usos esse, scholiastam vero aut ab altero utro auctore Zenobii ipsum aut per Boethum proverbii explanationem accepisse. — Hunc certe scholiasta non inspexit de proverbio *ἢ τρὶς ἓξ ἢ τρεῖς κύβοι*, immo neglecta eius interpretatione, quam Photius (s. v. *τρὶς ἕξ* . . . cfr. etiam s. v. *ἢ τρίς*) praebet, aliquem alium cum Zenobio arctissime coniunctum (aut Zenobium ipsum?) adiit. — Certius de alio adagio *ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα πηδᾶν* iudicari potest. Probabilis quidem opinio Naberi est, qui (p. 67 proleg.) scholion ad Cratyl. 413 A (pag. 236 H; omittit B) ad Boethum refert; errat tamen V. D., cum etiam Photium s. v. eiusdem doctrinam tradere opinatur. Scholiasta enim magis cum Zenobio

[1]) Haec est Schneidewini opinio (praefat. ad Corp. paroem. p. XVIII).
[2]) Schol.: *κἂν τούτῳ μηδέν* . ., Phot. et Paus.: *ἢ ἐπὶ τῶν μηδέν*...

VI 23 [1]) convenit, Patriarcha autem procul dubio Pausaniam (aut Dionysium) sequitur, cuius glossam Eustathius (ad Hom. 1591, 53 seq.) profert; illorum enim uterque Phaylli in disco et saltu virtutem laudat; Photius de disco nihil prodit. Hic aeque ac Pausanias (aut Dionysius) illum *σκάμματα*, cum antea quinquaginta pedum essent, saltu superavisse narrat: ὃς (sc. *Φάϋλλος*), *ν' ποδῶν πρότερον ὄντων τῶν σκαμμάτων, πρῶτος αὐτὸς ὑπερέβαλε τοῖς πηδήματι ταῦτα* ... (Eustath. l. c. fere eadem ... *αὐτὸς ὑπερέβαλε ταῦτα πηδήσας*); scholiasta autem tradit *πεντήκοντα πρὸς τοῖς πέντε πόδας — ἐπὶ μῆκος ἥλατο* et addit *θαυμάσαντες οἱ .. ἁμιλλώμενοι στίχῳ τὸ θαῦμα ἀοίδιμον τῷ μακρῷ καταλελοίπασι χρόνῳ*.. (cfr. Zenob. VI. 23: .. *ἐπειδὴ οὖν ὑπὲρ τοὺς ἐσκαμμένους ν' πόδας εἰς τὸ στερεὸν ἥλατο, τὸ συμβὰν εἰς παροιμίαν περιέστη*). Photius vero de statua eius loquitur et versus in ea scriptos esse dicit.

Sic si scholia cum Photio et paroemiographis componimus, de multis adagiis Naberum non recte iudicavisse nobis persuademus: Boetho plura quam debebat e Photii glossis reddidit necnon iusto plura eidem e scholiorum proverbiis vindicavit; quin etiam ut supra vidimus nonnulla, quae certo certius aliis auctoribus debentur, Boethi esse contendit. At quaestio illa, quae ad hunc, quae ad alios, fortasse Tarrhaeum et Didymum ipsos, aut ad Diogenianum lexicographum (qui breviores potissimum explicationes suppeditavit) referenda sint, copiosam requirit disputationem; fusius vero de proverbiis Platonicis disserere vetiti sumus, quamvis haec digna sint, de quibus uberius et accuratius agatur ratione habita eorum, quae non solum apud Photium aliosque sed etiam apud Hesychium extant.

---

[1]) Confer apud Zenob. VI 23 etiam Bodl. et Vatic. cod. M. S., et Milleri Zenob. (Mélang. p. 366 οδ').

Caput X. QUA RATIONE ET QUO TEMPORE SCHOLIA CONGLUTINATA ESSE VIDEANTUR.

§ 1. Duo potissimum genera glossarum discernere potuimus, alterum, quod e commentariis Procli, Olympiodori, aliorum sumptum est, alterum, quod lexicis Platonicis rhetoricisque debetur ac libris quibuslibet, qui non ad Platonem ipsum interpretandum destinati erant [1]). Singulorum vero dialogorum scholia perscrutati fontium usum ad alium dialogum alium fuisse cognovimus, velut glossas ad Gorg. et Tim. plurimas e commentariis fluxisse, et ad has perpaucas tantum grammatici potissimum argumenti accessisse; quo plures igitur illae sunt, eo pauciores ceterae reperiuntur; unde tamen non iam concludi potest Neoplatonicorum commentarios prius usurpatos esse quam eos libros, quos praeter illos indagavimus. I m m o eodem tempore utrumque genus scholiorum scriptum esse haud scio an appareat e glossis ex utroque fonte contaminatis *ἄγνος* et *ὑποβρύχιαι* (vide supra p. 26), quibus tertiam addo, quae legitur ad Gorg. 477 A (p. 313 H = 349 B): *κολάζεσθαί ἐστι κυρίως τὸ τῆς πονηρίας κολούεσθαι, ὅ ἐστιν ἐλαττοῦσθαι ἢ ἐμποδίζεσθαι·* Olympiodorus enim exhibet (pag. 93 med.): *κόλασις γὰρ λέγεται παρὰ τὸ κολούειν τῶν παθῶν· ὁ οὖν δικαίως κολαζόμενος διὰ τὰ πάθη, ἐπειδὴ κολούεται τῶν παθῶν, λέγεται κολάζεσθαι.* Quibus verbis scholiasta e Diogeniano ut opinor vocabuli *κολούεσθαι* interpretationem addidit. (Hes. *κολούεται· ἐλαττοῦται·* et idem: *κολούει· κατασεῖ· σάττει. κωλύει. ἐμποδίζει. κολοβοῖ·* quae glossa corruptissima est; cfr. etiam Suid. *κολούεται· ἐμποδίζεται*).

---

[1]) Pauca quaedam scholia satis certo Arethae tribuuntur, plura illis similia eiusdem esse videntur, de quibus infra. — Deinde multa lectionum discrepantias continent.

§ 2. Exceptis quibusdem glossis Bodleiani cod. M. S. scholia pleraque scripta esse crediderim non adeo multo post extinctam Neoplatonicorum scholam Atheniensem. Qua clausa anno 529 ultimi philosophi ac rectores Isidorus, Damascius, Simplicius, Olympiodorus ad Persas confugerunt; quatuor autem annis post cum in patriam revertissent, eorum doctrina aliquamdiu, fortasse usque ad finem saeculi sexti, Alexandriae viguit et magis magisque christianae philosophiae cessit. Celebrantur vero Proclus (schol. ad Remp. 398 A p. 338 H = 401 B) et Jamblichus (ad Sophist. 216 A p. 249 H = 370 B), uterque ὁ μέγας cognominatus, quantumvis Diadochus aeque ac Porphyrius in christianos odium suum effuderit eorumque invidiam sibi conflaverit (cfr. Suid. s. vv.).

Atque archetypus quidem eorum codicum M. S., quos nunc cognovimus, scholia fere eadem et similiter digesta continuisse videtur. Illos autem omnes referendos esse ad Thrasylli, Tiberii aequalis, recensionem et fluxisse e libro non ante Chr. n., fortasse non ante annum 400. nostrae aerae exarato M. Schanzius probavit (Stud. z. Gesch. d. Plat. Text. Würzbrg. 1874 pag. 11 seq.; 23; 45). Ne scholia quidem vestigia exhibent ullius antiquioris recensionis (velut Aristophanis Byz.); nam nusquam scholiasta nos relegat ad aliorum dialogorum scholia, quippe quae non ex uno commentario eiusdem philosophi aut grammatici hausta sint (aliter res se habet in Aristoph. scholiis, ubi formulae adhibentur ὡς εἰρήκαμεν, ὡς ἐροῦμεν ἐν ὑπομνήματι εἰς ...[1])). — Multa scholia

[1]) Tales formulae in Procli libris inveniuntur, sed non receptae sunt in scholia; dialogorum ordinem, quem Diadochus in interpretatione secutus esset, ex illis eruere studuit A. Berger: Proclus, exposition de sa doctrine. Paris. 1840, not. 1; perpaucas repperi ad eundem dialogum spectantes: schol. ad Remp. 333 E (p. 332 H = 396 B) relegat ad schol. ibid. 338 C (p. 333 H = 397 B) de pugillatione; schol. Leg. 915 B (p. 386 H = 457 B) τρίτον referri debet ad hypoth. extrem. — Non intellego schol. Clark. cod. M. S. ad Theaet. 172 A (p. 243 H; omittit B).

Clarkianus liber M. S. solus exhibet; attamen, quae ibi plura extant, non eidem auctori debentur neque eodem tempore sunt scripta. Nam quanquam satis certo Arethae infra videbimus quasdam huius codicis glossarum tribuendas esse, tamen illius, cuius liber Bodleianus fuit, non eae omnes sunt, quae in ceteris libris M. S. desiderantur; velut scholion copiosum ad Phaedr. 230 E (p. 264 H) deest in collectionibus Ruhnk. et Siebenk. et Bekk., affertur autem in Clarkiano, sed non Arethae tempore scriptum, immo 15. demum saeculo adiectum; idem autem scholion in Veneto extare nos docet M. Schanzius; neque e singulari fonte, sed ex Hermiae commentario fluxit; ex hoc igitur et ex aliis scholiis apparet archetypum nostrorum codicum M. S. uberiora scholia exhibuisse. — Si ea, quae Bekkerus e libris M. S. A, B, F, Ξ et M. Schanzius e Veneto t publici iuris fecerunt, eodem vinculo affinitatis inter se coniuncta sunt, quo codices M. S. ipsi cohaerent, facillime perspicitur, cur Veneti et illorum scholia tanto opere conspirent. Schanzius enim demonstrat (Ueber d. Platocod.... pag. 47, cfr. 52) e Veneto t fluxisse Parisinum B, et ad illum cum hoc referendos esse cum alios tum Ξ F (vide libr. cit. p. 53 seq. et Fleckeisenii Annal. vol. 117 p. 749 (1878). Idem V. D. ex Parisino A Venetum t descriptum esse suspicatus est (v. libr. cit. p. 78)[1]. Qua re omnes fere scholiorum collectiones (exceptis tamen Clarkianis) Venetus t et Parisinus A libri M. S. comprehendere videntur. Lobcoviensis autem scholia saepe numero sic cum Veneti conveniunt ut ex hoc ipso ea transcripta esse putes. Codices deinde Siebenkeesii et eos, quos Ruhnkenius «ex omnibus fere Europae bibliothecis» usurpavit, non satis cognoscere licet. In hos igitur libros M. S. scholia modo plura, modo pauciora translata sunt ex eis, quae omnium

[1]) Jordan confidentius iudicat t manavisse e priore parte Parisini A nunc perdita (Hermes vol. 13, p. 480; ibid. p. 478 de utriusque codicis M. S. scholiis inter se valde congruis disputat.).

communis fons continuit, Neoplatonicis, grammaticis, aliis auctoribus debita. Haud raro idem etiam scholion compluribus locis repetitum est.

§ 3. Pauca afferemus de scholiis Clarkianis. Haec diversis temporibus scripta esse M. Schanzius nos docet simulque singulas manus accurate distinguit (in libro: Novae commentat. Platonicae, Wirceburgi 1871). — Nonnullae huius codicis M. S. glossae christianum produnt, id quod primus Cobetus (Mnemos. II pag. 88 (1874) perspexit, qui verba scholii ad Euthphr. 14 E (p. 226 H = 328 B) *συνῳδὸν τῷ πᾶσα δόσις ἀγαθή κ. τ. λ.* ad Jacob. Epist. I 17 recte rettulit. M. Schanzius probata Cobeti opinione hoc scholion Arethae vindicavit, in cuius usum ille liber M. S. anno 896 exaratus est [1]; eidem restituit etiam hasce glossas: Apol. 27 D (pag. 229 H = 332 B) [2], Charmid. 155 D (pag. 289 H = 323 B), et alias quoque Arethae esse opinatus est. In illis scholiis, secundum Schanzium a prima manu (A^a) scriptis, scholiasta in Socratem invehitur aut ut in primo scholio fidem christianam cum Platonis sententia comparat. Similiter autem ille petitur in schol. ad Phaedon. 114 C (p. 235 H; omitt. B), quod a manu paullo diversa (A^{a*}) scriptum est. Deinde eodem iure, quo Schanzius schol. Charmid. 155 D reddidit, etiam id, quod sequitur, 159 B Arethae restituo (auctor scholiorum Platonem et Socratem alloquitur). — Permulta praeterea scholia sunt, quae, ab antiquissimis manibus scripta, non traduntur nisi in Clarkiano solo. Nihilo setius multum deest, ut omnia, a Schanzio literis A^a A^{a*} A^{aa} A^b A^c notata ad illum ipsum referri possint; immo longe plurima e vetustiore libro in Clarkianum translata sunt. Restat tamen genus satis amplum scholiorum,

---

[1]) Vide M. Schanz. Nov. comment. Plat. p. 113 seq.; Philol. vol. 34, p. 374/5 (1876).

[2]) Mirum est quod hanc gl. etiam Bekkerus in codicib. suis M. S. invenit.

quod eiusdem auctoris, sive is Arethas, sive alius fuit, esse dixeris. Glossae enim haud paucae illius codicis M. S. ad Platonis loquendi formulas pertinent eiusque verba illustrant, velut Euthphr. 3 A (pag. 224 H), 15 A et C (pag. 226 H); Apol. 21 E (p. 228 H), 17 D (pag. 226 H); Criton. 50 A (p. 229 H); Cratyl. 398 C (p. 236 H), 403 E (ibid.); Theaet. 153 B (p. 238 H); — Euthphr. 5 A (p. 224 H), 8 C (ibid. p. 225 H), 15 C (p. 226 H); Apolog. 28 C (p. 229 H); Phaed. 102 D (p. 234 H); Theaet. 172 D (p. 243 H); alias praetereo. Ac scholia huiuscemodi argumenti Arethae esse haud scio an probabile fiat comparatis eis libris, qui aut scholia ab hoc adiecta continent aut ab eo scripti sunt (velut codic. M. S. Aristidis rhetoris et Clementis Alexandrini atque comment., quem ille in Joannis Apocalypsin scripsit)[1]. Ibi Arethas ipse haud raro generis dicendi rationem habet et orationis ornamenta vel figuras notat; praeter adnotationes, velut *κατὰ κοινοῦ*, de ellipsi, et similes, occurrunt etiam verborum explanationes, quales in scholiis Platonicis extant[2]).

---

[1]) Vide Schanz. Nov. comment. Plat. pag. 114; Dindorf Praef. ad Clem. Alex. Ox. 1869 vol. I, pag. VI, XIV seq.; Fr. Delitsch Zeitschr. f. Luth. Theol. (1863) vol. 24, p. 12—16; Zeitschr. f. wissensch. Theol. vol. VII, p. 199 (1864).

[2]) In commentario ad Apocalyps. legimus (cap. II, p. 237, 19 Edit. Kram. Oxon. 1840 in „Catena in Epist. catholic.") ad verba Joannis „*καὶ ἡ φωνή, ἣν ἤκουσα ὡς σάλπιγγος λαλούσης μετ' ἐμοῦ*" hanc Arethae explicationem: *καὶ τοῦτο παρὰ τὴν τοῦ λόγου σύνταξιν... ἐχρῆν γὰρ οὕτω λέγειν· καὶ ἡ φωνὴ τοῦ λαλοῦντος μετ' ἐμοῦ... οὕτω γὰρ προήχθη ἁρμαζόντως*· vol. II, p. 217, 18 idem refert particulam *ὡς* non *παραβολῆς ἢ ὁμοιώσεως χάριν*, sed *ἀντὶ τοῦ ἵνα* accipiendam esse; atque addit: *εἰ δὲ καὶ ἀνελλήνιστος ἡ σύνταξις (οὐδέποτε γὰρ ὁριστικὸν ῥῆμα ὑποτακτικῇ λέξει συντέτακται) οὐδὲν μελήσει.. ἔστιν οὕτω καθ' ὑπέρβατον συντάσσειν*· et alia multa eiusdem generis. — Si haec de Platonis dictione scholia etiam in ceteris eius libris M. S. extarent aeque atque in Clark., ea ad autores Aretha multo antiquiores referrem; Diogenes enim Laërtius (III 39) Platonis dialogis dicit quaedam signa

§ 4. Permulta scholia ad Gorgiam potissimum traduntur; Clarkianus vero quam ceteri libri M. S. multo plura exhibet eaque ab antiquissimis manibus exarata. Neque tamen dubium esse potest, quin ne unum quidem Arethae adiudicandum sit ingenio. In eis enim scholiis duae praecipue glossarum series discerni debent, quarum altera (a Schanzio signo A^a notata [1]) tota fere in Ruhnk. Bekk. et Veneto codicib. M. S. deest, altera (cui ille literam A^{a*} addidit), cum his plerumque convenit, et, paucis exceptis, ex Olympiodori commentario hausta est. Sed afferamus exempla; huic debentur a manu A^{a*} scriptae hae gl.: 447 B παροιμιακόν (vide supra p. 19 init.); 447 B ἀρχή (p. 298 H = 338 B): Olymp. comm. p. 4 extr.; 447 C ταῦτα (ibid.): Olymp. p. 15 extr.; 449 A τό (p. 299 H = 338 extr. B): Olymp. pag. 21 extr.; 449 D ή (ibid.): Olymp. init. πράξ. δ' pag. 33; 449 E ἀντί (p. 299 H = 339 B): Olymp. pag. 26 med.; 450 A ἰατρική (ibid.): Olymp. pag. 26 extr.; 450 B χειρούργ. (ibid.): Olymp. p. 28 extr.; 450 B ψεύδεται (ibid.): Olymp. p. 26 extr.; quae omnes fere in Ruhnk. Bekk. et Venet. codic. leguntur. In p. 300 (H) tres tantum huc referendae sunt 450 E σκόπει

---

addita esse velut *X* πρὸς τὰς λέξεις — καὶ τὰ σχήματα καὶ ὅλως τὴν Πλατωνικὴν συνήθειαν, notatos esse etiam locos eos quibus Platonis interpretes lectoresve oblectarentur (cfr. Theaet. 194 E (p. 248 H; omitt. B) et Phaedr. 229 D; Schanz. Nov. comment. Plat. pag. 117 et p. 160 ibid.; et Studien z. Gesch. d. Plat. T. p. 21).

[1]) Schanzius (Nov. comment. Plat. pag. 121) manus, quae ante saecul. 12. scripserunt, litera A notavit, eas quae post saec. 12. scholia addiderunt, signo R distinxit. „A^a“, inquit V. D., „pleraque scholia scripsit atque prope ab aetate librarii abesse videtur; scriptura tamen, compendiis multis usa, a textu differt. Notam a* (i. e. A^{a*}) apponemus, ubi atramentum et scriptura quanquam paullulum diversa sunt, tamen dubitamus novam manum statuere; index b indicat manum rubram obliquam; c manum rubram minus elegantem, d, f. manus hic illic obvias. Manus recentes his indicibus distinguemus: z significat man. quae secund. Gaisf. s. XIII. est; x man. viridem minutam s. XV....“

(p. 339 B): Olymp. p. 29 init.; 451 A τῶν τεχνῶν, quod scholion in Veneto ad 450 B extat: Olymp. pag. 27 init.; et 451 B ἐν ταῖς ἐκκλησ. (p. 340 B). Atque primum et tertium scholia ceteri quoque codices M. S. tradunt, omittunt secundum, qua re communis fons uberior fuit. — In glossis autem, quas Clarkianus a manu A^a scriptas tradit, saepe verbosius exponitur, quam ab Olympiodoro: prior pars scholii 448 B οὗτος οὐχ (p. 298 H = 338 B) usque ad ἀδελφός ex Neoplatonici commentario fluxit p. 17 med. et non solum in Clark. sed etiam in aliis libris legitur (in Clark. a man. A^{a*}), altera pars, quam ille priore loco positam exhibet, in ceteris deest (a man. A^a). — Non omnes glossas Olympiodoreas A^{a*} scripsit: nam sunt etiam, quae a man. A^a exaratae eidem fonti vindicandae sunt et ex antiquioribus libris in Clarkianum transierè; velut schol. 461 B τὰ δίκαια (p. 306 H = 344 B), a man. A^a, omissum in Ruhnk. libris M. S. et in Veneto, extat in Bekk. codic. et ex Olymp. p. 47 init. manavit; item schol. 463 A πᾶσα κολακεία (p. 307 H = 344 B; Olymp. p. 59 init.); 473 E τοῦτο παράγγελμα (p. 312 H = 348 B; Olymp. pag. 87 med.); 471 E οὐ πρὸς ἀλήθ. (p. 312 H = 348 B; Olymp. p. 87 med.); et alia. — Neque glossae A^{aa} signatae [1]) ingenio Arethae sed multo potius fontibus eius debentur, velut schol. 447 A ἐλλειπτικῶς (p. 397 H = 337 B), 447 A ἡ ἀνάγκη (ibid., vide supra p. 20). — Necnon scholia 107 E et 108 A Alcib. I, quae scripsit manus A^c (cfr. supra p. 117 not.) et quae in ceteris libris M. S. desunt, Proclo accepta referri probavimus (supra p. 15).

§ 5. Inter scriptores, quorum doctrina Arethae tempore aut paullo post scholia Clarkiani sola aucta sunt, sive eos ipsos aliquis consuluit, seu e quopiam Plat. codice vetustiore cognovit,

[1]) Schanzius (Nov. comment... pag. 126): „scriptura huius manus obliquior.“

numerandi sunt Pollux VIII, 102 in schol. ad Phaed. 59 E (vide Gaisf. Catal. sive Notit. cod. M. S. Clark. pag. 74) et VIII, 90 in schol. Euthphr. 2 A (p. 223 H); Strabo VI, cap. 252 in schol. Sophist. 216 A (pag. 250 H = 371 B); Suetonius *Περὶ τ. Ἑλλην. παιδιᾶς* in schol. Theaet. 146 A (p. 237 H = p. 358 B; cfr. Eustath. ad Hom. 1601, 31; Suet. frgm. edid. Reiffersch. p. 462; Miller Mélanges p. 435).

§ 6. Post saeculum XII alia manus (R^x apud Schanz. cfr. supra pag. 117 not.) ex aliis codicibus scholia adiecit Clarkiano et sic ea, quae ibi extabant, locupletavit; velut ad Phaedon. 61 D, E, E; 62 A (τἆλλα); 62 A (ἐγέλασε); 107 B, quae omnia ex Olympiodori commentario vel potius e libro M. S., in quem ex hoc iam transierant, recepta sunt; antiquissimi igitur librarii (A^a et A^{a*}) Olympiodorea prorsus neglexerunt, quippe in archetypo ut suspicor omissa [1]. — Item Hermiae glossae, quae nunc in Clark. leguntur, recentiore demum tempore omnes a manu R^x additae sunt: 229 B Ἀγραίας (pag. 263 H = 312 B) et 230 E ἀξιῶ (pag. 264 H; omitt. B). — E scholiis ad Alcibiadem nullum ab hac manu profectum est: immo, quotquot huc transierunt e Procli et Olympiodori commentariis, omnia sunt hausta et scripta a manu A^a, duobus exceptis, quae Schanzius A^c notavit (vide de his pag. 15 et 118). — Eadem manus R^x haud raro scholia ad diversos locos repetivit.

Similiter de manu R^z paullo vetustiore iudicandum est; haec ascripsit cum alia, tum codicum lectiones, quales Ruhnkenii scholiorum editio multas exhibet. — Alias manus praetereo.

---

[1]) Aliter res se habet in scholiis ad Gorg. ut supra vidimus: ad hunc enim dialogum ea, quae Olympiodoro debentur, iam Arethae tempore aut paullo post ascripta sunt.

Index auctorum et rerum, de quibus disputatum est.